



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Thesaurus Eloquentiae Sacrae Et Profanae, Saluti &  
incolumitati Rerumpublicarum utilissimae**

**Alberti, Alberto**

**Coloniae Agrippinae, 1669**

Actionis Prima Pars, In quâ ostenditur, Ciceronianæ eloquentiæ desertores  
corruptißimo dicendi genere laborare.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69225](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69225)

I  
ACTIONIS  
PRIMA PARS,

*In qua ostenditur,  
Ciceroniana eloquentia desertores  
corruptissimo dicendi genere  
laborare.*

I Nfantium ostentatione Rhetorum, **AA**  
putidâque adolescentum declamato-  
rum affectatione, Patres amplissimi,  
factum est, ut eloquentia, quæ tanto  
semper in pretio, atque honore ha-  
bita, nimorum olim moderatrix suavissima,  
omnium sibi voluntates antea facile devin-  
ciebat; jam verso pollice, gratiâ, favoreque  
orbata, Auditoribus cordatis æquè, ac impe-  
ritis ingentem sui stomachum moveat, maxi-  
mumque pariat fastidium. Nam dum illi in  
exedris, **B** in gymnasiis, in academiis nullâ **B**  
penè aliâ de re, quàm de eloquentiâ, disse-  
runt, dum intempestivâ ambitione de elo-  
quentiæ laudibus semper disputant, dum cæ-  
terarum rerum quæstione, atque argumento  
ferè proscripito, hanc unam de eloquentiâ  
prædicationem concioni **C** ingerunt, hanc **C**  
unam vel invitis auribus obtrudunt, dum  
**A** elo-

eloquentiæ modò incunabula repetunt, modò  
 Dò crepundia *D* exornant, modò incremen-  
 ta exaggerant, jam adolefcentiam extollunt,  
 nunc virilem ætatem admirantur; dum elo-  
 quentiæ denique opes, dignitatem, vim, ac  
 potentiam amplificant, hanc eidem existi-  
 mationem, nomenque vulgò pepererunt, ut  
 quemadmodum ineptus ille pictor simulare  
 cupressum tantummodo noverat, ita ipsa de  
 sese magnificè dicere ac loqui dumtaxat  
 posse crederetur. Hinc tot Oratores, quorum  
 illa solebat esse avita laus, ut populo uteren-  
 tur planè suo, nostrâ tempestate vix levi præ-  
 sagio suspicionem injiciunt, de eloquentiâ  
 futuram esse orationem, quum subitò Audito-  
 rum plerique in hiatum ora diducunt, alii cū  
 assessoribus colloquuntur, alii ludibundi pal-  
 sim palamque circulantur, alii è vestigio va-  
 eua relinquunt subsellia, omnes postremo,  
 qui restant, sermocinatione, risu, ac strepitu,  
 obsoleto eloquentiæ panegyrico interceden-  
 do, ejus non ad excipiendâ præconia, sed ad  
 cumulanda dedecora se convenisse demon-  
 strant. At hodiernâ luce, sapientissimi Pa-  
 tres, non ego vetere, consuetoque more, non  
 antiqua recudendo, non pervulgata reconcin-  
 nando, dicturus sum; sed inexpectato planè  
 prodigio novam, inusitatam, inauditamque  
 affero pro eloquentiâ expostulationem potius,  
 quàm orationem. Ipsa ipsa eloquentia, quæ  
 singularibus sui privilegiis aliàs importunè  
 decantatis, Auditores nausea plenissimos ha-  
 stenus ab se dimisit, longè abalienavit;

hodie non inanibus aliorum de se exulta  
 præconiis, sed propriis afflictâ querelis, non  
 in sui laudem, ut quondam, effusa, plausum  
 dumtaxat venatura, sed tanquam in novâ lu-  
 ctus scenâ, novo spectanda argumento, non  
 attentionem tantum sibi concilatura, verum  
 etiam haud levem sui commiserationem ab  
 aliis expressura, in suggestum ascendit.  
 Hæc sapientiæ si non parens, certè filia, no-  
 bilissimæ suæ stirpis non immemor, atrata  
 licet, ac submissò vultu, vos Summates, ac  
 Præsides, tanquam æquissimos Judices meâ  
 voce compellat, ad sinum prudentiæ vestræ,  
 ad patrocinium vestræ auctoritatis nuac pro-  
 fuga sese recipit, ut suarum Iliadem *E* cala-  
 mitatum exponat, ut de immanibus inju-  
 riis, quibus afficitur, ut de maximis detrimen-  
 tis, quibus exinanitur, non minus flebiliter,  
 quàm justè, conqueratur; ut denique simul  
 etiam vos omnes tam improborum facinorû  
 iniquitatè non mediocriter aliquando comò-  
 veat, & majore quoque, quàm potest, conten-  
 tione ad audacissimos suæ dignitatis corru-  
 ptores noxæ extemplo dedendos impellat.

2. Verùm præter cætera infortunia, quibus  
 infelix eloquentia undique obruitur, hoc insu-  
 per multo jam acerbiorè maciatur, quod ejus  
 causâ, quæquam plusquam centumviralis,  
 omninoque gravissima, & ipsamet rerum pla-  
 nè summa extremo isto in actu accusatori  
 imbecillo, inertique, patrono indiferto, atq;  
 ignoto, advocâto incauto, rudi, imparatoque  
 temerè proflus committitur. Quis enim ego  
 sum,

A 2

sum,

4 P. I. DE ACTIONE HVIVS

sum, viri spectatissimi, ut homo usquequaque novus, ac nullius nominis, de tam operoso negotio, tantiq; momenti controversiâ appositè, sententiôsè, accuratè, & præclarè queam differere? ut verò etiam coner utcunque per exiguam dicendi meam facultatem non tam orando, quàm clamando vincere, quis tamen, etsi facundus, & linguâ promptus, summâ Concilii hujus celeberrimi majestate deteritus, non perturbetur, & quicquid quoque ingenii, aut virium ad eloquendû ipsi reliquum est, cogatur suppressere, penitusque silentio præterire? Quid quòd inter ipsos Adversarios, in quos suscepta causa liberè, ac fortiter pugnare me jubet, plurimos viros, sanè magnos, omni liberali doctrinâ politissimos, cunctisque ingenuis artibus instructissimos hîc numerari animadverto; quibus ego quum & reverentiam non vulgarem debeam, & honorem eximium habeam, & obsequium Religiosum ulero etiam profitear, quo tandem pacto ipsos veluti reos in crimen vocare, & ceu hostes agitare, urgere, premere, ac labefactare, incolumi pudore poterò?

3. His enim verò tam multis, tamq; arduis, ac salebrosis difficultatibus, fractus ego planè, Patres amplissimi, modò succumberem, gradumque ab hoc dicendi munere referrem, neque me unquam in tantam dimicationem jam objicerem, nisi eloquentiæ in profundum ultimarum miseriarum abjecte incredibilis vastitas, deserta solitudo, ineluctabilisque necessitas, me ad hanc quantamcumq; aliam animosè

DIFFICULTATE.

5

mosè subeundam vel invitum, tergiversan-  
temque omnino compelleret. De inopi verò  
meâ linguâ, aridaq; & de jejunâ meâ dicen-  
di vi non sum ego, ut verum fatear, admodum  
solicitus, quum causâ ipsius, quam tueor, æ-  
quitas sit tam luculenta, tam explorata, tam  
evidens, nullâ ut egeat eloquentiâ, nullius  
ingenium patroni, vel artem postulet, nullius  
accusatoris industriam, nullius causidici di-  
fertam, copiosamq; orationem requirat, pro-  
numque sit vel imperito cuiq;, ac propè clin-  
gui tironi hunc Solem medio die adeo clarè  
splendentem intento duntaxat digito osten-  
dere. Nec me profecto frequentissimus, &  
gravissimus iste confessus, conspectusq; vester  
tantopere exanimat, aut tantum pavoris  
mihi offundit, quantum perspecta vestrorum  
iudiciorum integritas, mihi cunq; verum  
omnium stadium benè consulendi communi  
utilitati, me, etsi alioqui trepidantem, recre-  
at, valdeque confirmat; quos ego dum toto  
excubare animo, ut Rempub. à cunctis cor-  
ruptelis vindicetis, cerno, nullâ ratione possû  
ambigere, quin ab eloquentiâ quoque omnes  
injurias deinceps sitis prohibitori; neque ad  
has longè arcendas, facundiâ, pigmentis,  
aut gratiâ cujusquam vobis opus esse censeo,  
sed sat, superq; habebitis veritatem ipsam  
inaffectato simpliciq; orationis caractere  
vobis ante oculos poni: quod sanè me præ-  
staturum sicut non inaniter confido, sic & per-  
stantè polliceor.

4. Cum ipsis autem meis Adversariis eâ

A 3

ego

ego ratione manus conferam, Judices, ut se  
 reverenter à me habitos inficiari jure neque-  
 ant: ita disputationi meæ moderabor, ut  
 cuncta tela, quæ expeditam, rectà in ipsa dum-  
 taxat piacula, & flagitia, quæ culpo, conji-  
 ciam; personis verò omnino paream. Quod si  
 forte aliquod spiculum in ipso conflictu,  
 quasi resiliens, in caput ipsorum incidit,  
 eoque se etiam perstringi, vulnerariq; jidem  
 fenserint, agnoscent, opinor, homines pru-  
 dentissimi inevitabilem causæ necessitatem,  
 cui nimirum aliter nemo integrâ fide, quàm  
 vitia eloquentiæ, quæcunque ista sint, solito  
 liberoque animo carpendo, servire potest; ac  
 proinde non invitè simul quoque ignoscent,  
 etiamsi auctores pariter ejusmodi facinorum  
 paulùm inde, ex obliquo saltem, vellicari ne-  
 cesse sit. Neque enim Adversarios meos tam  
 delicatos mollesque esse prudenter quisquam  
 sibi persuadere potest (& valde injuriosus  
 in eos planè sit quicumque de ipsis ita suspi-  
 catur, ne dum existimat) ut mihi illi propu-  
 gnandæ eloquentiæ, accusandiq; pravos hu-  
 jus infectores potestate interdicitum velint,  
 adeoque si istos accusem, continuo sese offen-  
 sos arbitrentur. Nam si illi fas sibi putant  
 à legitimâ dicendi formâ desciscere, si bel-  
 lum intestinum solidæ eloquentiæ inferre, si  
 hujus affeclas, & clientes ludibrio habere,  
 si nullos probare, nisi improbæ corruptelæ  
 approbatores, & subscriptores pensi non  
 habent, cur mihi nefas sit, eidem eloquentiæ  
 patrocinari, ejusdemq; perduelles liberè cri-  
 mi-

## REFELLENDI ADVERSARIOS. 7

minari? At quænam, obsecro, accusatoris partes sunt? quodnam officium? num, ut funestas clades eloquentiæ importatas dissimulet? nû, ut auctoribus, qui importârunt, conniveat? num, ut causam, ne ullo dicto Adversariis ægrè faciat, perfidiosè jugulet? minimè gentium; sed, ut hanc tam validè fulciat, ut illos penitus sternat. In ipsis quoque Academicis quàm multi in factiones de industriâ divisi, fictò còtroversiæ discordiæq; imagine, alii in alios declamant acriter, invehunturq; etiam asperius non raro, nullo tamen offensionis, aut amicitiae disfluendæ periculo? Quid nî igitur mihi quoque integrum hoc eodè jure sit, ita pro eloquentiâ advocacy necessariâ uti, ut in ejusdem Adversarios liberè etiam dicere, eosdem insimulare, arguere, de perduellione appellare, testibus cadere, reosque agere, ac peragere, citra ullam offensæ subeundæ aleam licitum sit? Quanquam ego, Patres amplissimi, in antecessum denuntio, conceptisq; verbis proscribo, me accusatoris munere ita defuncturum, ut de honore, dignitate, ornamentisq; eorum, quos hîc accuso, nihil prorsus detractum, aut imminutum cuiquam, sed reverentiam, venerationemque singulis debitam, fartam & tectam omnino velim. Fingam igitur prudens me nonnullis ex istis non parum, etsi minimè sum, infensum, quosque ego viros ornatissimos maximè colo, hodie Adversariorum loco, non equidem ex animo, sed ex composito tantum, ut susceptæ causæ velificem,

amicè ducam; ipsique à me, ceu a suppositio, commentitioque accusatore se deferri, pungi, pervellique nonnihil, pro suâ insitâ humanitate nequaquam indignè ferent. Sed antè, quàm in causam ipsam ingrediar, paulo mihi altius de re totâ, ut quibus cancellis meam Orationem circumscribi, quamve ad metam collineare cupiam, intelligatis, necessario exordendum est.

*Eloquentia stylus insano metaphorarum as  
sensualium studio corruptus.*

5. **E**loquentia, quæ jam tot lapsorum sæculorum decursu, amisso foro exul, à Iudicum relegata subelliis, à Curiâ, & Senatu expulsa, angustasque in Rhetorum Scholas redacta, solitudinem suam, in aulis forum Academiarum declamando, utcumque consolabatur, jam diu causis forensibus, in quibus potissimum dominabatur, penitens ferè abdicata; quum de suo, præter elocutionem, nihil propemodum retinetet, ad eam salvam præstandam, expoliendamque omnes intendit nervos, omnes adhibuit calami-  
A stros. *A* Hinc gymnasia Rethorica de stylo, de formâ dicendi, de Oratorum facultate, de eloquentiæ præstantiâ cotidie ferè tantummodo personabant. Verum ne quid ad cumulum tot arumnarum deesset; quæ se jam tot lustris ab interitu domesticis contenta parietibus, hoc est, literariis palæstris, egregiè vindicabat; domesticis quoque petita ar-

mis, familiarium primò, deinde perduellium quoque multorum factione Oratorum, jam & patriis exturbari sedibus, & contexendæ orationis artificio spoliari, & de styli, ut ita dicam, possessione dejici cœpta est. Quid enim? plurimi de grege Oratorum planè gregarii, tam gravi, speciosoque indigni nomine; dum Poetas, Historicos, Philosophosque intempestivius lustrant, tractantque, ab illo virilis eloquentiæ proprio charactere longiùs aberrârunt; jamque semel delirantes, dum in extraneas, ut ita loquar, disciplinarum regiones peregrinantur licentiùs, stylum novum in alienis fabricatum officinis, Tulliano illo palmari per summam contumeliam repudiato, in usum remis velisq; inducendo, eloquentiam funditus everterunt. Infana quippe, nescio quo literarum fato, metaphorarum, aut potius allegoriarum dulcedo, quæ & majorum nostrorum identidem vitavit ætatem, haud ita pridem rursus nostro seculo multorum corripuit, ac labefactavit ingenia. Plerisque enim, quò se plus reliquis sapere doceant, nihil nisi reconditum, atque à communi hominum opinione sensuque remotum arridet. In totius ambitus stylo, in verborum apparatu, in quavis operis lucubratione, in omni structurâ ac formâ dicendi exibratas periodos sectantur impensius, dictorum acumina simbricatim; **B** ut **B** ita dicam, contexunt, nihil simplex, nihil nativum tolerant, cuncta arcessita, cuncta ærussata rimantur. Ab his verba calami-

**C**istis crispantur, fensiculi **C** minuti, perpetuo quodam ductu, mollique volubilitate ne-  
 ctuntur; densantur paria paribus, figuris  
 omnia collucet; quot membra partiuntur  
**D** tot epicherenate **D** strictæ involuuntur no-  
**E** tiones; **E** quot incisa intercalantur, **F** tot  
**F** amputatæ ac suspiciosæ cadunt sententiæ.  
 Quicquid desides vellicare aures, quicquid  
 fastidiens titillare palatum, quicquid tor-  
 pentem animum potest laceßere, vndiq; anxie  
 aucupantur, laboriosè venantur, suaviter  
 deosculantur. Si quid Poetis per licentiam  
 aut ingenii intemperantiam, vel audax nimis,  
 vel inflatum absurdius excidit; si quid Hi-  
 storici acutiùs extremis, ut dicitur, digitis  
 attigerunt potiùs, quàm vsu parunt, avidè  
 arripiunt, illicoque in orationem vel invi-  
 tum trahunt. Denique sic illi orationem con-  
 formant suam, ut tota ad aurium demul-  
 cendarum aucupium, tota ad ingenii sanam  
 colligendam, tota ad sui admirationem  
 nominis excitandam, spectare videatur. Audet  
 præterea crebris frequentare sermonibus, tū  
 jactare etiam in circulis, sæpeque in erudito-  
 rum quoque virorum cœtibus effutire non  
 erubescunt, **M. Tullii** stylum emundæ na-  
 ris hominibus jam inanem, enervem ac fra-  
 ctum videri: ejus elocutionem nihil habere  
 vividi spiritus; ejus periodos sententiis atque  
 acuminibus vacuas; ejus numerum mollio-  
 rem, quàm ut imitatione, ne dum admira-  
 tione dignus existimetur. Postremo, ut vno  
 expediam verbo, eloquentiæ ducem non  
 jaat,

jam, ut antea, Ciceronem sequendum, neq; ab eo amplius formam accommodatè dicendi ad persuasionem peti oportere. Hæc ubi tam portentosa opinioſissimi homines temerè effuderunt, quæ reliqua sit eorum mens, quis toto de opere orationis sensus, facilè, ut reor, vobis, Judices, ipsimet cogitatione, & conjecturâ depingetis. *G* Neq; verò necesse est cætera eorum consimilis decreta audaciæ, præpostera planè atq; absurda pluribus complecti. Hæc, quæ hæctenus delibavimus, nobis, quid hominum, illi sint, quid habeant constituti, sat superque delineant. Istorum igitur declamatorum, declamatorum autem! rabularum *H* veriùs dixerim, ac graculo-*H*rum, *I* qui genus hoc dicendi ab animorum persuasione quàm longissimè discedens innovare, aut jam olim explosum, nunc postliminio *K* revocare moluntur, istorum, in-*K*quam, conspiratione eloquentia, quas in elocutione, & conformandæ orationis structurâ reliquas habebat, opes, illis diripientibus ac depeculantibus *L* amisit universas.

6. Sed quàm ingenti damno, Auditores! *L* quàm gravi jacturâ, Deus immortalis? Tanto planè immaniore, quanto hæc lascivientis stili lues ab istis germanæ eloquentiæ contemptoribus afflata, serpit in dies magis, perverſeque, at per quàm blandè simul etiam larvata, *A* venenum suum longè lateque insi-*A*diosius diffundit. Molli renidens aspectu, manuumque argutiis mirè gestuosa, *B* in *B* imperitorum primo animos irrepit; tum se

in latebras vulgi abdit, mox per tot nobi-  
 lium adolescentum ingenia, quo ignotior,  
 eo grassatur securius. Hinc facillimo tra-  
 jectu ad paulo limatiora iudicia gradum fa-  
 cit, ipsosque magnos etiam viros, quanquam,  
 doctrinae exultatione inflatos magis, quam  
 probato sapientia auro verè divites, ac glo-  
 riosos, circumire, atque infatuare conatur.  
 Neque frustra conatur. Cernite enim. Sed  
 quibus oculis? non nisi prae rei indignatio-  
 ne, luctuosoque spectaculo lacrymarum imbre  
 caligantibus. Cernite, inquam, multiplices  
 strages ab hac secundâ malorum hydrâ nu-  
 per editas, cotidieque instauratas. En jam  
 Reginae illius quondam eloquentiae sceptrâ,  
 ac diademata detracta sunt, nitidus ille co-  
 lor jam evanuit; pallor dumtaxat & macies  
 faciem ejus totam scèdissimè deformat. Vi-  
 deas enim nunc luci credi; quae aut qualia?  
 quae, nisi cognatis digna tenebris? lucem,  
 inquam, adspiciunt omnis generis opera  
 in acuminum operosissimâ officinâ typis ex-  
 cusa. Siquid narrandum est, torquetur acu-  
 mine; si quid liquido explicandum, obscu-  
 ratur acumine; si candidè ac simpliciter ali-  
 quid petendum, cuspidatur acumine; si quid  
 acriter urgendum, ac persuadendum, senti-  
 tiolis politulis enervatur; si rogandum, se-  
 runtur argutiae; si plorandum, molles quoque  
 lacrymas acumine quasi turbinatas **C** volunt  
 defluere. Quid? dolorem ipsû sententiosè do-  
 lere cogunt, ut planè nescias, magisne de re  
 ipsâ, quae dolorem infert, an de tam dira,  
 tanique

tamque importunâ acuminum carnificinâ dolendum sit. Denique nonnullorum mentes hominum stolidâ potius sibi ambitione assentantium, quàm solidæ doctrinæ laude florentium vafana hæc acuminum libido ita hebetavit ac cepit, ut si quam Orationem audiant aut Concionem, aures illico furrigant, ac, num quid tinniat acuminum, num quid levissimorum crepet dictorum, perquàm curiosè tantum attendant. Cæterum quid rei dignitas poscat, quid ordo, quid locus, causa, aut tempus requirant, nihil morantur. Nisi argutiolis perpluat oratio, actum est: sibilis, ac pedum supplosione Oratorem excipiunt. Licet stylo ille gravi, ac pro causâ egregiè splendido, licet mirabili operis structurâ atque artificio; licet argumentorum acie cuneatim **D** instructa; licet coloratis **D** figuris nervosè strenueque perorant; si longam acuminum seriem unâ non texit, si spissum etiam sententiarum funem non ducit; nauscant, obstepunt, per summum ludibrium petulanter explodunt.

7. Placuit istorum genus Oratorum, qui in-  
tempesivum ornamentorum luxum, præsertim acuminum ac sententiarum immodicam suis in Orationibus copiam perditè amant, paulo fufius exponere; tum ut illis, quos mihi potissimum hæc disceptatione refutandos delegi, intento velut digito internoscantur; tum quia, etsi complura alia eloquentiæ flagitia & corruptelæ ejusdem assuetis atque alimnis identidem hæreant, atque imponant, num

tamen perniciosius hac nostrâ tempestate  
 blandius quàm istarum illecebrarum aucupes,  
 ac factores, grassantur, nulli imprudentibus  
 ingeniis, præcipuè adolescentibus, atque in-  
 doctioribus insidiantur. Nam qui vel inflato  
 dicendi genere tument, vel frigido oble-  
 ctantur, vel puerili luxuriant; qui antiquario,  
 qui rudi, qui sicco, qui exsanguis abutuntur,  
 nihil ferè negotii facessunt eloquentiæ; quip-  
 pe à popularibus rejecti auribus, plausu atque  
 acclamatione fraudati, sibi intus soli, tan-  
 quam Aspendii **A** Citharœdii canunt: sibi  
 palpantur in angulis, in publicum, virus suum  
 spargere non possunt; vulgò despecti con-  
 temptique, omnium salibus atque irrisione  
 bluduntur. **A**t qui hæc sermonum picturata, **B**  
**C**ut ita loquar, diademata continenti filo, **C**  
 densius innectunt, qui peracutis, aggeratisque  
**D** fensiculis totam de industriâ consternunt **D**  
 orationem, plerunque ira vulgò accepti sunt,  
 ita habentur graciosi, omniumque sibi aures  
 pellaci titillatione ita demulcent, ut nulli  
**E** plagas eloquentiæ magis conclamatas, **E**  
 nulli vulnera magis depositæ curationis in-  
 fligere videantur.

*Veteris eloquentia de ævo nostro etiam ævo super-  
 bes, non sine magno damno saepe labefactatur,  
 summaque huius causæ gravitas ostendi-  
 tur.*

**Q**Uam sanè eloquentiæ depravationem  
 nollem ego, quisquam vestrum,  
 Just.

## GRAVITATE.

59

Judices, aut minus gravem, aut exigui esse momenti, aut sine magnis detrimentis, tanquam solis scholastici ludi confiniis inclusam, impune cedere opinaretur. Tametsi enim eloquentia, quæ olim à foro, atque à Senatu, ut narravi, amissa, vel amandata, in literaria Athenæa se recepit, ibiq; hospitium suum jam dudum fixit, nihilominus hisce tam arctis veluti carceribus, compedibusve haud ita se mancipavit, quin nostris etiam temporibus in civilem quoque aciem, in publici consilii sedes, in gravissimorum virorum coronas, quasi jus suum justissimis vindictis repetens, subinde excurrat, ubi, quum suo ab officio non leviter discedit, non modicum certe in exitium quàm publicum, quàm etiam privatum frequenter redundat.

9. Quoties enim hoc nostro etiam seculo magistra dicendi eloquentia in anniversariis studiorum instaurationibus palmares de rebus amplissimis habet orationes? quoties in Doctoris honorifica laureâ bene meritis, emeritisque Jurisprudentiæ, Medicinæ, Philosophiæ, vel Theologiæ auditoribus decernendâ, impertiendaque divitias suas, pompamque explicat? quoties in Dynastarum, & Principum funeribus vel mœrêtes levat agitudine, vel extraneos quoque, quos nulla ejusmodi rei cura tangit, stupore quodam torpentes, uberes solvit in lacrymas? quoties in Ducum, Regum, Pontificum solemnî dedicatione, quoties in Cardinalium purpureo galero insigniendorum spectatâ celebritate

quæ

quaestiones loculentissimas edisserit? quoties in Academicis cœtibus, patriâ cujusque nationis linguâ omnium ferè disciplinarum argumenta pertractat? quoties in legationibus ad Principes, ad Reges, ad Casares, summosque Christianæ Republicæ Antistites sæpissime missis, de suscipiendo bello, de pace faciendâ, de fœdere feriendo, deque aliis negotiis quàm maximis vehementer disceptat, acerrimèque perorat? quid quòd certis in urbibus civiles, vel capitales causas apud Senatū toto corpore, omnibusque, quòd ajunt, unguibus hodie etiamnum agit? In sacris quoque Conciliis quàm generalibus, quàm provincialibus, quàm *Dioecesanis*, ut appellant, quàm sæpe oratorios suos lacertos, ac nervos de rectâ morum institutione, defecatoque doctrinæ candore severè, atque enucleatè disputando, expromit? Quæ profectò habendarum Orationum opportunitates multæque aliæ, quas omnes singulatim modò enumerare non attinget, durum quondam eloquentiæ exilium non mediocriter leniunt, magnâque ex parte revocant.

10. Jam, quis, rogo, Patres sapientissimi, tam indoctus, ignarusque rerum est, qui in hujusmodi Orationibus quovis ex genere causarum, quum ea in sole, ac pulvere ferè aguntur, magnitudinem, & gravitatem statim non animadvertat, ipsasque sine gravi piaculo minimè vitari posse non recognoscit? Testor Joannem à Casa, qui de restituendâ Placcariæ Urbe Parmensi Duci ad  
 Caro-

Carolum V. Imperatorem in deliberativo; testor Christophorum Longolium, qui de afflictorum sibi criminum salutate ad populum, Senatumque Romanum in judiciali; testor Joannem Perpinianum, qui de veteri retinenda religione in demonstrativo Orationes, ut innumeras alias dissimulem, nostris temporibus non solum commentati sunt, sed de pulpito etiam serio pronuntiaverunt, & quidem ille, quem nominavi postremo, tanto nisu, spirituque, ut Auctori ipsarum veneno ab Hæreticis, præ invidia, ut fertur, eidem propinato, haustoque pereunti vitâ ipsâ confiterentur. Fingite insuper, vos etiam Auditores, illustrem panegyricum de alicujus viri Sanctissimi virtutibus, & prodigiis ad Pontificem Maximum, & Purpuratos Patres, quò eum in ~~Colitum~~ ordinem componendum decernant, ab aliquo Oratore, alicujus Religionis universæ nomine, adornari: fingite ab alio de latifundiis, de totâ re familiari, de noxiâ capitali ad Prætores ex prisca consuetudine incitatiùs declamari: fingite ab alio cives ad patriam à nefariorum proditorum conjuratione vindicandam incensæ orationis facibus inflammari: fingite denique à Jurisconsultis multiplices quacunque de controversiâ dissertationes pro suis clientibus elucubrari. At quid dico, fingite? Imò potius redite in memoriam tales dissertationes nostro etiam a vo à locutuleis, A caussidicisque cotidie ferè componi. Nunc scitor ex vobis, Viri prudentissimi, si quis in hujusmodi caussarum tractatione,

tione, gravi Oratoris munere abusus, quò  
 suorum acuminum phalerata nugamenta,  
 vel fucati medicamenta nitoris venditet;  
 missis Cælitis illius egregiis facinorum am-  
 plificationibus, eû non tã Sanctorû honoribus  
 dignû, quàm gregarium aliquem de communi  
**B** fatu, *B* cœtuq; hominem esse doceat; vel ne-  
 glectis *orthodoxa* religionis firmamentis, ipsã  
 non tam corroboret, quàm eleuet; vel clientis  
 caput, fortunatve, posthabitã fortis defensio-  
 nis curã, in extremum adducat discrimen, aut  
 omnino perdat; vel in aliis tam amplis, ma-  
 gnique ponderis controversiis, quo inaniam  
**C** sententiarum talitris *C* pueriliter micet *D*,  
**D** vel exuberantis ornatus redundantia utcunq;  
**I** exultet, sponte prævaricetur; num leuiter  
 delinquere censendus erit? Imò gravis sce-  
 leris reus, multãque *E* gravem commeritus  
 ab omnibus sapientibus, æquisque rerum ar-  
 bitris iudicabitur.

11. Quod si à civilibus Orationibus ad sacras  
 Conciones, atq; à forensibus tribunalibus ad  
 Templorum suggesta sermonem transferre  
 lubet, cui exploratum non est, ista tam cre-  
 bris divinorum præconum vocibus persona-  
 re, ut eloquentia jam non amplius extorris,  
 vel deserta, sed è curia, & rostris in ades  
 sacras demigrãsse, regnumque suum in hæc  
 beata æterni Numinis domicilia, feliciori-  
 bus longè auspiciis, traduxisse existimetur?  
 Quem verò vestrum fugit, sapientissimi Pa-  
 tres, Concionum de rebus divinis ad popu-  
 lum habendarum provinciam maximi esse

momenti? cui non perspectum, hanc ipsam, Episcoporum præcipuum esse munus, ad quod jidem per se implendum, nisi legitimo impedimento distineantur, gravi religione, ut ex permultis sacris Conciliis, nec non ex Doctorum *b* omnium consensione liquet, omnino adstringuntur? Quis nescit, ceteros quoque Concionatores, præsertim Religiosos viros Episcopis, qui officium suum gregis divino sermone pascendi ubiq; locorum præstare nequeunt, in societatem ejusdem muneris concionandi, quo illorum vicem expleant, à summis Pontificibus, ut è Sacrorum Canonum *c* tabulis, certisq; Theologorum *d* responsis notum pariter est, adjungi? Cui incompertum, sacram Concionem instrumentum esse potissimum, ut tum ex divini Testamenti diplomate, tum è veterum Patrum *e* scitis palàm discimus, ad animas è vitiorum cœno extrahendas, atq; ad servitutem Christo Domino ritè serviendam impellendas; ac proinde in Catholicâ Repub. quàm

ma-

*a* Toletano 2. Cartaginensi 4. Remensi, Avellanensi. Lateranensi, Tridentino Sess. 5. de Reformatione. 2. 2. & Sess. 24. c. 4.

*b* apud Suarez Tom. 1. de Relig. lib. 2. c. 15. nu. 7 & Tom. 4. tract. 10. lib. 9. c. 2. & Barbossam de Offic. Episc. par. 1. Tit. 2. Gloss. 10. n. 2.

*c* cap. inter alia, de offic. medic. ordin.

*d* Suarez lib. 9. cit. c. 1. nu. 1 & cap. 2. nu. 8. & S. Thoma 2. 2. q. 188. nu. 4 & Cajetano ibi.

*e* apud Regium lib. 1. de oratore Christiano, cap. 6.

maximè grave esse, ac sublime? quem clam est, ab ipsomet Christi Vicario Leone X una cum universo Concilio Lateranensi perspicue asseverari eandem sementis celestis faciendæ procuracionem esse *præcipuam in Ecclesia Dei, ac pernecessariam, magnique fructus, ac utilitatis*; adeoque & cunctis aperte denuntiari, rem esse magnitudine valde præstabilem, ac singularem?

12 Nec solum divinæ sationis administrandæ munus ipsomet genere amplum est, ut jam expendi; sed materia quoque ipsa Conciones eximie antecellit. Quis enim unquam subdubitavit, quin libri omnes, qui de avaritiâ, de invidentiâ, de fastu, de vestium, gulaque luxu, de quibuslibet deniq; vitiis compescendis disputant, argumenta non de genere venalium, aut de argillâ, lutoque humilia, atque abjecta, sed ingentis molis, & grandia pertractare, sapientum omnium calculis judicentur? Tanti nimirum ad Reipub. utilitatem refert hos evulgari, quanti interest, immania damna, quæ ex iis suppressis contraherentur, propulsare. At quò spectat, aut tendit sacra Concio, nisi ut scelerum omnium regnum perrumpat, evertatque? ut insanas animi appetitiones comprimat? ut fibras cujuscunq; pravitatis evellat? ut frænum cunctis corruptelis injiciat? Quanti verò interest omnium hujusmodi frænum integrum, incorruptumque præstare, quo adulterato, & labefactato, cuncta flagitia impune grassantur, foedè

sceddè bacchantur, longè, lateque propagantur.

13 At præter Concionis materiam sanè nobilem, & gravem, ipse quoque concionandi modus, & forma quàm insigni exuperantiâ in Christi Ecclesiâ eminet? an potest cuiquam non excordi res levis videri, de quâ ipsemet Pontifex a Maximus Leo X jam laudatus, totumque Concilium Lateranense, etiam appellatum, sessionem integram conflant, diserteque titulo ipso profitentur in eâ *disponi circa modum prædicandi*? Fac nunc istam formam deformari, modumque perverti; fac Concionem, etsi nihil falsi dicat, neque noxiam doctrinam tradat, nihilominus immodicis ornamentis luxuriantem, omni persuadendi vi, ac nervo destitui, Auditoribusque ab æterno interitu retrahendis ineptam fabricari. Quàm immania illico vulnera universa Respublica Christiana ex vitiatâ istâ concionandi ratione, ac formâ necessariò accipiet, quâ hinc delicta omnia exultabunda sine ullo cœsoris metu tripudiatura sint? Quis vestrum ignorat, idcirco à Theologis, b & conscientiarum cognitoribus Evangelii præconem, qui tam Apostolico officio adeo indignè abutitur, ut ipsius sacra Concio in profanam ferè declamationem degeneret, culpæ lethalis communibus suffragiis

a Sess. XI. p. 10.

b Suarez 2. part. Tom. 3. disp. 16. sect. 3. in fine, Lessius lib. 4. de inst. c. 4. num. 96. Casotanus in Summa. Ep. P. c. 10. verbo. Prædicatio, num. 4. Sa. ibi item, num. 4. Poss. vultus de offic. Curat. cap. 3. Videtur ibi. Ep. c.

22 P. I DE HUIUS ACTIONIS

giis jure optimo damnari? Quis apud veteres Patres probrosa convicia, quibus adeo tam exitiabile facinus merito verberant, non legit? Quis Originem e lugentem non audit, à talibus *magistris seindi, ac dividi Ecclesiam?* quis S. Ioannem Chrysostomum d. exprobrantem non meminit, *subverti Ecclesias, dum sermo quaritur, non qui compungere possit, sed qui oblectet?* quis S. Gregorium e Romanum non animadvertit, id genus Concionatores adulteros, concubinarios, & concubinas propterea nuncupare, quòd sicut perdità huiusmodi libidinis mancipia prolem averfantur, solaque voluptate rapiuntur; ita illi non fructum Auditorum, sed oblectationem dumtaxat aucupantur? At super sedeo nunc pluribus aliis acerbis admodum objurcationibus recensendis, quas infra deinde commodius recitabo.

14. Quodnam igitur, Patres amplissimi, argumentum in celeberrimo isto totius Orbis conventu, & theatro gravius, aut majus à me versari potest, quàm quod hac meà Actione maximè complector, in quâ omnem operam, & conatum eò demum, & potissimum refero, quemadmodum jam innui, & deinceps multo clariùs patefcet, ut sacra Concionnes cunctis liberatè corruptelis, ingenti populorum fructu in Christianà Repub. confermentur? Si de augustissimo Eucharistia Sacrae

c. In cap. 3. Ez. ch.

d. Hom. 31 in Genes.

e. Lib. 8 moral. cap. 25. & in Cant. cap. 6.

Sacramento differerem, an id divinâ gratiâ primâ eum impertiat, qui mortalis sceleris reus, cum imperfectâ hujus detestatione illud bonâ fide participat; gravissimam à me explicari quæstionem acturum sine dubio fate-remini, siquidem æterna salus, aut damna- tio ex hac pendet; licet enim opinio utrinq; probabilis præsto sit, si tamen quæ primam gratiam ex adjuncto spondet, re ipsâ falsa sit; qui cum ejusmodi tantum peccati expiatione decedit, illico in Orcum ruit, ut planum est. Rursum, si de legitimâ abluendi, absolven- di, consecrandique formâ disceptarem, rem magni molimenti à me proponi subito agno- sceretis, præsertim quia etsi utraque pars sen- tentiâ probabili niteretur, si tamen ea forma nulla reverâ esset, Sacramenti gratiâ, qui ipsâ uterentur, omnino frustrarentur. Deniq; si contenderem, illum, qui in Sacro faciendo Hostiam non ex frumento, sed aliâ ex fruge adhibet etsi extrinsecus rite operatus, quum nihil cæterarum partium, ac ceremoniarum negligit, repudiatur, reapse tamen nullum sa- crificium perpetrare, me non de stillicidio- rum *A* jure, aut de reduviâ *B* curandâ, sed *B* de permagno negotio non de nihilo agere haud inviti annueretis. Quantæ igitur ope- ræ, & pretii hæc, quam intendo, controversia est, in qua fructuosam, palmaremq; concio- nandi rationem amplectendam, inutilem au- tem, ac vanam declinandam, ostendo? Nam si alii concionandi modi, etiamsi frugiferi, & prohi videantur, reipsa tamen enerves, & nulli

nulli rei sint, quot, & quàm magna animarum  
 detrimenta inde certo consequuntur? Sinul-  
 læ in Dei Ecclesiâ Conciones penitus habe-  
 rentur, si nullus amplius de rebus divinis ser-  
 mo audiretur, si sacra pulpita deinceps omni-  
 no conticescerent, in quot quantasque frau-  
 des Christiani populi incurrerent? quàm enor-  
 miter conciderentur? ad quàm multos imma-  
 nis plaga pertineret? quæ scelera non glisce-  
 rent? quæ animi pravitates non serperent? quæ  
 vitia, nullo coercita aggere, non inundarent?  
 At quid, obsecro, interest, Rempub. ob sublatas  
 penitus sacras Conciones pessum ire; ac istas  
 nonnisi infructuosas, evanidasque, unde illa  
 haud secus perit, consari? Quid refert lintea-  
 tum, ac stolatum Sacerdotem, instar Apostoli-  
 ci Concionatoris, sacrum in suggestum prodi-  
 re, exordium, propositionem, confirmatio-  
 nem, & reliquas Concionis partes texere, at-  
 que explere, si ornamentorum luxu illas fide-  
 rat, & obruit, opprimit, perdit? quis non intel-  
 ligit, corruptâ semel verâ concionandi formâ,  
 improbos Auditores, ineptis hisce titillatos  
 Concionibus nihilo secius in vitiorum cœno-  
 volutatum iri, quàm si tales Conciones om-  
 nino prætermittentur? Quàm cumularo igitur  
 compendio publico hæc mea Actio est,  
 quæ modum concionandi inutilem exagitat,  
 frugiferum verò summo nisi tactur? quid  
 quod firmis quoque rationibus vinco, concio-  
 nandi eam formam, quæ immodicis lascivit  
 ornamentis, quanquam à plerisque in deliciis  
 habeatur, non solum esse reapse iniuctuosam,  
 sed

sed omni etiam bonæ frugis opinione viduari? Imò verò luxuriantes id genus Conciones non modò inutiles perpetuò sunt, sed plerunque etiam, ut facile doceri potest, perniciose. Unde, Antistites prudentissimi, causse hujus, quam afferò, immensam magnitudinem, & gravitatem jam perspicuè planeq; dispicitis.

15. Sed nunc ultra etiam progredior, insuperque id pugno; licet ego de sacrarum Concionum corruptelis nihil speciatim hìc attingerem, sed generatim tantum de ipsa discedi norma, quæ Cõcionibus sacris, & Orationibus profanis communis est, perperam vitiatà, pristinaq; integritati restituendâ disputarem, adhuc thesim permagni momenti à me fore versandam. Quis enim in Dialecticis tam hospes est, qui nesciat, quicquid de universo aliquo genere, quod ad hujus essentiã **A** Aspectat, in alterutram partem statuitur, aut detrahitur, idem prorsus & de quavis specie, quæ eidem sublit generi, necessariè statuendum, vel detrahendum esse; adeoque si semel decernas, animal esse sensus particeps, vel expers, necessariò quoque tibi fatendum esse, cunctos etiam homines, equos, boves, ceterasq; pecudes sensu constare, aut carere? Quis ignorat, citra quoque rationem generis modò indicatam, ubi aliquid tanquam illicitum, & in culpã positum, tibi in mentem venit, neque tamen vides, neque quòbitas, gravisne ea sit, an levis, sed neglectã utriusq; inquisitione, illud exequeris, lethalis crimi-  
**B** nis

26 P. I. DE HUIUS ACT. GRAVITATE  
nis te à magnis Theologis \* ea propter, quòd  
huius admittendi periculo ultro te exponas,  
meritò damnari? At quis pariter non ani-  
madvertit, simul atque dicendi forma in me-  
dio sita, quæ civili, sacræque Orationi promi-  
sca est, depravata ab aliquo delegitur, hunc  
continuò in lubricam aleam sacrarum quoq;  
Concionum pervertèdarù sese committere?  
Quid ego aleam commemoro? Quin imò  
quis non intelligit, quum character ipse di-  
cendi, seu ratio communis, & generalis per-  
suadendi ad Orationis universæ, quæ à qua-  
vis specie, seu parte, sacrâ, & profanâ, men-  
tis quasi novacula abjungitur, essentiam om-  
nino pertineat, eum, qui talem rationem,  
& characterem pervagatù, infectum, corrup-  
tumque amat atq; usurpat, in laqueum neces-  
sitaris inexplicabilem prorsus sese induere, ut  
non solum civiles Orationes, sed sacras etiam  
Conciones intigere, & corrumpere cogatur!  
Quantù igitur Christianæ Reipub. interest,  
sacras Conciones ab omni labe integras, de-  
facatasq; prestare, tati profecto præses quoq;  
Actio est, quæ de incorruptâ dicendi formâ  
in usum revocandâ quàm maximè satagit, si-  
ne quâ illæ integræ, & defacatæ esse non  
possunt: ac propterea, quum munus concio-  
nandi sit per se adeo sublime, & gravissimum,  
ut exposui, hæc ipsa Actio, quamvis genera-  
tim tantum de communi dicendi ratione di-  
sceptaret, adhuc tamen amplissima esset, atq;  
gra-

\* Apud Thomam Sanchez lib. I. in Decal. cap.  
num. 6.

gravissima. At ego, Patres sapientissimi, ut jam monui, non in ipsâ communi dumtaxat formâ dicendi hærebo, sed quicquid de hac disieram, ad ipsa sine etiam sacras Conciones, severis vincendas legibus, atque ab omni inquinamento purgandas potissimum destinabo, insuperque de ipsomet etiam concionandi sacris in Templis munere, deque sacris Concionibus à qualibet corruptelâ tuendis speciatim quoque deinde, nec oscitanter disputabo. Quo etiam ex capite quanta gravitatis, & magnitudinis accessio huic Actioni fiat, satis in præsentia superque cognoscitis.

*Propositio totius operis ab omni ancipiti sensu distincta, in angustiores fines redigetur.*

16. **V**erùm, ne quis de industriâ quærens diverticula, consilium meum ex ancipiti sensu secus, quam par est, aut aliorum, quam ego censeo accipiat, caveo primum disertè, quum litem ego eloquentiæ corruptoribus, quos jam depinxi, hic intendo, eosque non segni stylo agito; me quaslibet tam Orationes, quam Cõciones iis vitiis, quæ recensui, obnoxias, sive Latinâ, sive Hetruscâ, sive Gallicâ, sive Germanicâ, sive Polonicâ, sive quacunque aliâ cujusvis regionis vernaculâ linguâ scribantur, habeanturque, conferto argumentorum paratu in hac indictâ jam pugnam aggressurum; nec mihi turbam ullam rixamve de Latinis seu vocibus, seu locu-

locutionibus, sed de eloquentiâ tantummodo, qualicumque sermone explicetur, fore cōcitandam. Caveo præterea, me nominatim de Orationum, Cōcionumq; pravitatibus solum ideo expostulaturum, quia in aliis scriptionum generibus, in epistolis, in elogiis, in epigrammatis, in poeticis commentis, in lepidis fabellis, in ludicris prolusionibus, cæterisque in lemmatis *A* adumbratis, & pictis, in quibus persuadendi curâ eorum architectis solutis esse licet, neque, ut quenquam suâ in sententiam trahant, illis contentio ulla, vel cogitatio est: ornamentorum licentia per me quidem potest, quicumque volet, ut ei placet, liberaliter indulgere, non invideo, non repugno, non dissentio, quin potius conniveo quoque, & si vultis, probe etiam, ac laudo. At in Orationum rostra, Concionumque suggesta hujusmodi illecebrarum luxum cōportare, nec enim verò probum fecerim, est, minimeque tolerandum. Caveo insuper, quoties perversa eloquentia vitium fraudemque extra Scholarum angustias nullo modo porrigit, suapte naturâ gravem admodum noxam nequaquam nocere, ac proinde, sicunctas causas, atq; Orationes utcuq; splendidas in privata Rhetorici Gymnasii spatia, aut in Academicas exedras compelli, atq; hos inter parietes ingenti acuminum seu fasce, seu fascino *B* obrui inficique, aut alio quocumque vitio corrumpi ponamus, eum Oratorem, qui eas ita corrumpit, atque habet, vel ab alio habendas curat, non faciliè magni reum

reum criminis, si reliqua malitiæ absint adjuncta, damnandum videri. Nam quum in locis hujusmodi Orationes nõ seriõ, ac verè, sed ad speciem tantum, ad imitationem, vel exercitationem componantur, habeanturque, hæc qualiscunq; corruptela, & prævaricatio, quod suapte sponte nemini graviter incommodet, minimè gravis est. Suapte, inquam, sponte: nam an extrinsecus aliquid gravis culpa iisdem aspergi possit, suo postea loco accuratius investigandum hic ego relinquo. Caveo denique, personatos istos declamatores, qui in Scholis dumtaxat, vel in Academicis aulis tralatitias, C umbratilesq; C lucubrationes dicis D solum causã, ac simul D late coagmentat, hic à me omnino præteriri, extraq; omnem meæ Actionis ictum in tuto planè consistere. Quis enim ita infans sit, vel tam absurdè desipiat, ut leves quæstiones à jocularibus istis Oratoribus enodatas, vel certè si graves sunt, non tamen ad persuasionis finem ex animo eblandiendum, sed luditantum, vel ostentationis gratiã elaboratas, nihilominus velut magna peccata, etiam si crimen in re undique levi grave esse nequeat, inconditis clamoribus obtundendas arbitrentur? Sed illos ego prævaricatores dumtaxat, qui gravium rerum Orationes, quum verè, seriõq; perorandæ sunt, supervacuis ornamentis imprudenter onerant, atque elidunt, à me in toto hoc contentionis prælio comprehendendi denuntio.

17. Affero igitur, Patres amplissimi, causã

B 3

ad

addicendum, ut videtis, non exiguam, sed ex tam multis, gravibusque capitibus magnā; non de Romanis nominibus anxiam, sed de legitimā apud omnes populos persuadendi ratione sollicitam; non de scholasticis nugis levem, sed de virtutum omnium inferendarū, vitiorumque expellendorum instrumento ad humanam, ac divinam felicitatem comparandam præcipuo longè gravissimam: ut propterea nemo vestrum profus mirari, nemo tanquam immodicam exaggerationem, si quando in Adversarios paulo concitatius commoveri (etsi animo semper quàm placatissimo) fortasse videbor, jure queat interpretari.

18. Nollem verò ego, quisquam vestrum hanc meam Orationem de eloquentiā ab improbo Declamatorum servitio liberandā fictam, & commentitiam temporis dumtaxat fallendi, aut styli periclitandi gratiā, ut aliàs sæpenumerò fieri consuevit, à me hodie haberi, suspicaretur. Si enim unquam medullitus verba deprompsi, si mentis meæ penetrabilia cum ore, & vultu in me aliquando confenserunt hæc certe omnia ad istam, cui modo patronus adsum, firmendam confluere partem reperietis. Et sanè aut ego vehementer fallor, aut nullam equidem aliam persuasionem, quàm hanc, cunctorum pectoribus infingere, ac penitus agglutinare, ita inflammato animo concupivi.

19. At ne latebram ullā Adversariis meis, in quam se abdant, relinquam, totius ego controversiæ amplitudinem in arcum cogens,  
cer-

certoque proposito comprehendens, sic distinctè pronuntios, Antistites, ac Judices sapientissimos: formam, characteremque dicendi immodicis ornamentis redundantem præfertim verò acuminibus, sententiisque luxuriantem, ad finem Oratoris seu profani, seu sacri consequendum, esse planè ineptum, atque adeo cœ vitiosum eloquentiæ genus ex omnibus foris, ex universis templis, ex cunctis urbibus exterminandum. Quod ego, nisi meridianâ luce dilucidius probavero, non recuso profectò, quin me ut levem de trivio caussidicum rideatis, pedumque suppositione obruatis. Quamvis autem quæcunque ornatus intemperantia in eodem vitio, ac luto sit; de acuminum tamen exuberantiâ præcipuè mihi dicendum existimo, tum quia hæc lues omnium maximè, præclara quæque depopulatur ingenia, tum quia hæc compressa, illam quoque eodem scalpore castigari, recidiq; necesse erit. Quanquam ego nomen ipsum acuminum non semper etiam ita severè accipiam, sed frequenter quoque multo ampliùs pro quibuscunque ornamentis, & quicquid de illis statuero, vos de his etiam ratâ portione decernendum faciliè intelligetis. Orationis pariter, atque Oratoris vocabula tanquam civili, & sacro Oratori, Orationique seu Concioni, & Concionatori promiscua, deinceps plerumque usurpabo, nisi quid peculiariter alterutrâ de parte, profanâ, vel sacrâ necessariè explicandum secus à me postulaverit.

20. Sed audito hic ego, nescio quem, hoc

ipso principio mihi intercedentem, exprobrantemque; quod quæ vel tironibus Rhetorices sunt compertissima, à me velut peregrina atque inaudita huic confessui, Concilioque gravissimo, non sine tot doctissimorum virorum indignatione, ac stomacho, intempertive, temereque ingeruntur. nihil quippe magis in confesso esse apud omnes, quam nimiam, & lascivientem ornamentorum copiam veræ eloquentiæ repugnare, atque à cunctis Rhetoribus improbari: adeoque actum jam dudum toties, à me agi denuo otiose prorsus, ac inipienter. At ego non invitus sanè, sed ultro etiam, lubensque concedo, quod paulò ante exposui, meque offensurum recepi, esse quàm perspectissimum; frustra tamen id à me hoc loco in præsentia promi, tractandumque proponi, jure optimo per nego. Nam Rhetorices, atque eloquentiæ præcepta, ac scita, quanquàm cuique obvia, & pervulgata, nihilominus à recentibus istis artis oratoriæ architectis, quos ego maximè criminor, adeo negliguntur, & derelictui, ne dicam, etiam ludibrio, habentur, ut ab illis vel ignorata omnino, vel penitus contempta videantur. Nimirum sua placent auctoribus vitia dicendi, quibus jam pridem insueti, atque innutriti, prima etiam documenta eloquentiæ omnino dediderunt, aut tam cæcâ nocte, densisque tenebris circumfuderunt, ut ne pertransens *A* quidem illa strictim etiam aspiciant; ac proinde rursus primoribus Rhetoricæ elementis necessario sunt informandi: perinde ferè,

atque

atq; in re longè diversâ perduelles Hæretici, qui Catholicæ religionis dogmata, etsi apud genuinos Christi sectatores extra omnem controversiam e divinis Literis, e Conciliis & Patribus probè cognita, rata, & fixa sint, præfractè tamen, impudenterque, non solum in dubium revocant, sed etiam explodunt: ideoque prævalidis, testatisque divinæ Fidei machinamentis ad ea agnoscenda, ne veneranda sunt compellendi. Haud secus quoque fucati isti Declamatores solidæ eloquentiæ penitus oblii, ad hujus incanabula redire, vel fortè primùm etiam adire, ac prima addiscere rudimenta, ineluctabili argumentorum impressione sunt adigendi: quos etsi longè aberrare palàm est, rationes tamen, cur tantopere aberrant, ne per somnium quidem hæcenus iis visas doceri ipsos, operæ pretium est. Porro sicut cunctæ Hæreses Catholicis decretis adversæ, à sacris Conciliis inustro stigmate B notantur, ac profligantur; ita etiam novitiâ hanc dicendi Hæresim, C quæ eunctis eloquentiæ, ac Rhetorices legibus palàm repugnat, legitimamq; & fructuosam persuadendi normam penitus jugulat, pronuperque D à phaleratis istis E Oratoribus sacra etiam in Tèpla importata est, còferto evidentiù argumentorum agmine in amplissimo hoc totius Orbis conventu à me percelli, ac revinci, quò publico, ac gravissimo vestrum omnium judicio, calculisque damnetur, ac funditus evertatur, necesse omnino est. Unde nullo negotio, viri prudentissimi, animad-

B s. verti-

vertitis, hodiernam hanc, quam modò or-  
dior, disceptationem, utcunq̄ etiam aliàs  
notam, adhuc tamen nobilissimâ vestrà coro-  
nâ, vestrisq̄ sapientissimis auribus fore di-  
gnissimam.

*Pramunitio, seu preparatio prima, docens Orato-  
ris finem, esse Auditorum persuasio-  
nem.*

**A** 21. **I** Am verò ex istis ornamentorum, acu-  
minumq̄ institoribus **A** percontor,  
ego in primis, quum quidpiam agunt, vel ag-  
grediuntur; num actiones ipsi suas, atque co-  
natus aliquem ad finem, ac, veluti adhibitâ  
**B** amussi, **B** exigant ad libellam? **C** Sine du-  
**C** bio. nam qui in agendo nullum, quem in-  
tueantur, finem sibi constituunt, pecudes  
sunt, non homines, neque ullus est in Phi-  
losophiâ tant hospes, quin hominis proprium  
esse & peculiare, ut omnia, quæ agenda su-  
scipit, ex fine metiatur, maturè didicerit, ac  
longè etiam ante omnem Philosophiæ in-  
**D** formationem, **D** naturâ ipsâ rationeque  
præunte, deprehenderit. Cedò igitur, in  
fabricandâ pronuntiandâque Oratione quem  
sibi finem acuti isti, & sententiosi Oratores  
obtinendum desigunt? Hic vos, Auditores,  
summâ animi attentione, quid responsi dent,  
notare cupio: quid de hac re sentiant, quæso,  
diligenter auscultate. Persuasionem, inqui-  
unt, animorum in Oratione nos quàm ma-  
ximè consecrandam omninò iudicamus.  
Per-

Peruasionem ajunt animorum? num loquuntur ex animo? num serio? at videte viri politissimi, ne forte subita vobis imprudentibus vox, fallente lingua, exciderit. Adhuc spatium vobis, & potestatem, ut temere indicatam sententiam revocare possitis, indulgeo. **E E**

Rogo vos: hanc, ut mentem vestram perspicue omnes intelligamus, verbis planioribus repetite. Audite quid replicent. Auditorum peruasionem, finem Oratoris proprium omnes Rhetorum Scholæ tradunt, omnis veterum Oratorum auctoritas sancit, omnes eloquentiæ candidati vociferantur. Ad eam igitur peruasionem & nos etiam Orationem nostram dirigimus. Bene habet, Auditores. quæ sit Adversariorum mens, quis animi sensus, exaudistis universi. Consignate mihi tabulis, fide publicâ, hanc vocem, juratis testibus hanc eorum sententiam sedulo commendate, ut, si quando data semel suffragia pro suo arbitrio, ac more revocare tentaverint, tanquam inferiores causâ, omnium probris conviciisq; multentur. Non abibo longius. Faxo, ut emissæ hujus vocis mox illos pœniteat.

22. Hæc est enim mea cû concinnis **A** istis **A**  
 Declamatoribus sermocinatio. Fiacem Oratoris externum animorum peruasionem, internum **B** verò, qui semper in ejus manu est, **C**  
 accommodatè dicere ad persuadendum conceditis. Non credo. In speciem quidem, fucatisque verbis id per bellam ludificationem **C**  
 prætextitis. At amoto fuce, reapse in tor- **C**  
 nandâ oratione quid, oro vos, spectatis, quid

intuemini? Persuasionem animorum? & cui-  
 rerum a imperito hoc ipsum persuadebitis?  
 Desinite, obsecro, jam ultra personam men-  
 turi liberam veritati linguam commodate aliquan-  
 do. Ad famam ad famam ingenii aucupanda,  
 ad eruditionis, & memoriae admirabilitatem  
 faciendam, ad inanes doctrinae plausus col-  
 ligendos, ad vestrorum acuminum gratiam  
 celebrandam, omnem vestram industriam,  
 contentionemque collineatis. Quid enim?  
 quid? Quam divini Herois Caelitum albo  
 jam inscripti virtutes laudatis, quo tot ver-  
 borum sterculis pertinent, quo tot crispatae  
 sententiae, quo tam spissa inculcataque ar-  
 gutia referuntur? De industria id ego ab exor-  
 nativo genere, in quo plerique Oratorem  
 omni persuasionis cura solvunt, liberumque  
 gloriola undique captanda campum ei reli-  
 ctum censent, exemplum peto. Nam si ar-  
 gumentis effecero, & in hoc laudationis ge-  
 nere omnem Oratoris artem ad Auditorem  
 persuasione expugnandum mihi oportere, tes-  
 tatum cuivis erit, eundem finem multo ma-  
 gis in iudiciis quoque, & deliberationibus  
 ipse esse querendum. Quem igitur ad finem,  
 inquam, in exornationibus tota illa orna-  
 mentorum suppellex instruitur? Non scitor  
 jam, an una tantum praecipua quaestio in pa-  
 negyricis locum habeat, hoc enim facile in-  
 ter me condono. Non laboro, utrum praeter  
 quaestionem principem, alia, quae ad actio-  
 nem impellat, initio perorationis collocari  
 debeat. hac quippe de re distinctius infra  
 phi-

philosophandum est. Sed hinc indago solum,  
 quid tota illa cerussata E Oratione pigmen- E.  
 tarii F isti Oratores moliantur? Laudare, F.  
 inquit, virum omnibus absolutum nume-  
 ris in animo est. Audio. num igitur illa Ora-  
 tio ad ingenerandam in Auditorum animis  
 de sanctissimi viri illius excellentia opinio-  
 nem, ut scilicet eum collatis in ipsum laudi-  
 bus dignum omnes sibi persuadeant, erit ap-  
 posita? Hic, ut reor, jam aqua illis haret, &  
 qui sese hisce expedieis G expediant, non G.  
 inveniunt. Si enim appositam fore ajunt, lis  
 profligata est, caussaque ceciderunt. Nam  
 haec ipsa stabilis opinio de maxima viri san-  
 ctissimi excellentia Auditorum animis Ora-  
 toris inserta artificio, illa illa est persuasio, a  
 qua nunquam Oratori abeundum, nunquam  
 aberrandum, nunquam omnino deflecten-  
 dum esse decernimus. Sin autem istorum  
 Oratio ad eam opinionem Auditori adjun-  
 gendam haud satis erit accommodata: non  
 igitur illam ad viri, quem laudandum susce-  
 perunt, commendationem, sed ad sui nomi-  
 nis, ad suorum leporem, ad suorum orna-  
 mentorum praedicationem referebant. Desi-  
 nant ergo per dolosos verborum anfractus H H  
 inaniter jactare, in Panegyricis laudes egre-  
 giorum virorum amplificandas persuaden-  
 dasque sibi esse propositas: sed, quod res est  
 aliquando sine fraude fateantur, se, quum ad  
 Sanctum aliquem virum, vel alium Oratione  
 efferendum accedunt, re vera in id unum to-  
 tos incumbere, in hoc vires omnes ingenii  
 exe-

exerere, non ut Cœlitem illum exaggeratis, attributisque dignum præconijs, parem, aut superiorem fuisse persuadeant; sed ut Auditorum res suorum acuminum illicio *I* deliniti, *K* magnâ de suæ eruditionis penu, *K* magnâ de argutiarum illecebris, magnâ de memoriæ portento, magnâ de subtilitate sententiarum, partâ existimatione; celeberrimi Herois virtutibus ac promeritis interea oblivione deletis, aut delusi, aut eorum commemoratione fraudati, aut per hanc præposteram laudandi rationem deirita etiam, si quam secum de ejus præstantiâ attulerunt, opinione, sub-offensi discedant.

23. Num igitur consilii atque propositi inconstantiam purgare possunt? possuntne ex *A* angustissimo, in quod inciderunt, decipulo *A* evadere? possuntne tam dissidentia ac pugnantia componere, aut ad ullam concordia speciem redigere? an non datæ desertores fidei, an non comperti mendacij Rei inexcusabiles tenentur? Ecce, paulò ante Oratoris finem Auditorum persuasionem conceptis verbis persanctè affirmârunt; & tam repenti nunc *B* impertano vertiginis astro *B* correpti, eò levitatis descendunt, ut in exornativo genere non illius, quem prædicare instituerunt, virtutes persuadendas, sed sui plausum gloriamque potissimè venandam existiment? Nisi tamen, dum Oratori ad persuasionem animorum, tanquam ad finem omnia collineanda supra edixerunt, hanc præcipuè suarum laudum nudationem, *C* despectis Cœlitis illius,

lius, quem Panegyrico illustrabant, præconijs, tacitè, ambitioseque aucupandam, verè atque ex animo innuere voluerunt,

24. Quod si hoc in Laudationibus propositum illis est, si id ex porrectâ fronte audent profiteri; ego sanè jam peroravi, Auditores. Cum istis ego miris capitibus ultra nihil omnino disputo. Nolo mihi cum iis hominibus, qui tam absurdâ agendi ratione, sese hominum ex albo delent, quicquam esse negotij. Neque ego eos Oratorum nomine, qui in elaborandis Orationibus sui commendationem ingenij maximè spectant, dignos ullo modo censere possum. Quid enim potest esse absurdius, aut dementius? Recepisti te de laudibus viri florentissimi, ut eum homine majorem, omniumque veneratione dignissimum persuaderes, verba facturum; & currente Orationis rotâ, cuncta ad sui prædicationem nominis illico traducis? Quid perversius? Tunc illum liberalem aut profusum dicas, qui amplissimum muous se tibi largiurum prolixè pollicitus, fidem de subito fallens, promissoque frustrans dono, insuper tibi nec opinanti crumenam auro gravem vel clanculum sublegit **A** vel per vim etiam ab invito abripit? Si hæc liberalitas appellanda est, nihil est furibus & latronibus liberalius. At ex æquo cerè Logodædali **B** isti absurdi sunt **B** ac præposter. Nam oppigneratâ in initio fide, se de laudibus alicujus Cælitis dicturos, deinde in totius Orationis cursu, laudem eam opinionem, quam de sancti Herois virtutibus

Au-

47 P. I. DE FINE PERSVADENDI

Auditorum animis insculpere debebant, subdoli fures, irreligiosique prædones, de sui ingenii præstantiâ iisdem affigere conantur. Per Sancti viri laudes sursum & deorsum feruntur quidem, sed nihil penè in eum laudationis, quæ illum verè commendet, conferunt: quinimò omnia divino viro debita præconia ipsimet surripiunt, atque in sui decus derivant, ac transferunt. Improbum sanè præstigiæ genus; præstigiæ, dicam, an impudentiæ; impudentiæ, an impietatis? quum Cœlitibus te laudes donare profitearis, iisdem & quas habebant, nequissimè suffurari.

*Præmissio secunda, evens oblectationem in Panegyrico non esse præcipuum Oratoris finem, sed persuasionem.*

A 25 **D**Eus Divique A omnes hæc de decora, hanc fraudulentam furacemque laudandi normam à nostris, inquit, exornationibus avertant, non huc tendimus, non hoc in Panegyricis quærimus; non nostri laudes serimus, sed ejus, quem laudamus, ita tamen laudamus, ut totam laudationem ad captandam præcipue Auditoris oblectationem, cui parandæ hic acuminum apparatus mirè conducit, referri debere arbitremur. Ex eâ deinde Auditorum oblectatione si consecutione illâ plausus & gloriæ potimur, quid piaculi, quæso, est, quid criminis? Sed rursum

sum desultoriae. *B* Oratores eloquentiae, ex- *B*  
 tra rationis circulum saltant, iterum aber-  
 rant, iterum vacillantur. *C* Itane vero *C*  
 oblectationem Auditoris in Panegyrico, præ-  
 cipuum veluti finem Oratori contemplandum  
 putatis? nimirum lupus pilam mutat, non  
 mentem. homines ex argutis compacti tech-  
 nis, *D* si quando sibi veritatem ex lebris *D*  
 passi sunt excidere, illico redeunt ad inge-  
 nium, furoque rursus mendacij os actutum  
 ac linguam sublinunt. *E* Paulò enim ante, per- *E*  
 suasionem Oratoris finem universè pronunci-  
 arunt; nunc pro persuasione oblectationem  
 perversè substituunt. Scilicet, qui Orationis  
 delicias tam perditè amant, oblectationi au-  
 rium velificari maximè oportebat. At quàm  
 inani perfugio in fugam terga vertunt, quàm  
 vano futilitatis. *F* cuniculo præsidium in- *F*  
 dificant? An non enim hæc omnia stapea  
 nugarum propugnacula unius Aristotelis  
 Rhetorum omnium facile principis sola vox  
 disturbat, demolitur, prosternit? an non tanti  
 auctoritas dicendi magistri solâ appellatione  
 sui nominis quemvis, cui ingenuus pudor  
 cordis sit, ab hujus sententiæ patrocinio pe-  
 ducat? Quæ erit deinde Adversariorum tre-  
 pidatio, quis pallor, ubi rationibus stipata  
 auctoritas atque armata non tam pugnabit,  
 quàm fulminabit? Quid enim? Quem non  
 terreat, atque exanimet illud fulmen, quod  
 tam valide vir ille admirabilis contorquet,  
 dum adeo perspicuè, atque ex destinato Rhe-  
 toricam desinit, vim esse ac facultatem videndi  
 quid

quid in quaque re sit ad persuadendum accom-  
modatum? Vide, inquit Aristoteles, *a* quàm  
amplos habeat fines vis ad persuadendum  
aptâ, atque ad eosdem præcisè, neque citra,  
neque ultra, ipsam quoque artem porrigi Ora-  
toris, primum sit, atque exploratissimum pro-  
nuntiatum. In quacunque re, in omni matè-  
riâ, in quolibet argumento, quod pertracte-  
tur, Rhetoricæ artis munus id unum, & so-  
lemne est, ea, quæ ad persuasionem efficien-  
dam juvent, accuratè, sollerterque rimari. De-  
me hanc persuadendi curam & vim ex Orati-  
one, & illico Orationem totam corrumpas,  
necesse erit. Si igitur ab exornationibus hunc  
persuadendi finem releges, quid calamistratæ  
istæ tuæ & voluptariæ exornationes cum O-  
ratore, atque Rhetoricâ, quæ in quacunque  
re nihil, nisi persuasionem omni ope nisuque  
molitur, habebunt negotij, quid affinitatis  
aut conjunctionis? Deinde ceddò, quæ sunt  
Orationis cujusque partes illæ ab ejus naturâ  
**G** atque essentiâ **G** ita manantes, ut sine ijs nul-  
la penitus, ne exornativa quidem consistat  
Oratio? nonne ab eodem Aristotele *b* tan-  
quam ex Delphico tripode, propositio rei, &  
confirmatio constituuntur? Jam, quum in  
exornatione quoque, si Aristotelem audire ve-  
lis, quidpiam præcipuè ponendum sit, & com-  
firmandum; fierine potest, ut confirmatio ad  
id, quod positum est, persuadendum non re-  
ctâ, ac potissimè dirigatur? Quid enim,  
quæ-

*a* lib. 1. Rhetor. cap. 4.

*b* lib. 3. Rhetor. cap. 13.

quæso, est confirmare, nisi argumentis fidem eius rei, quæ confirmanda est, facere? quid porro est persuadere, nisi item fidem argumentis facere? & poterit aliquis in exornatione laudes, quas in virum Oratione laudatum congescit, aptissimè confirmasse, quin unà easdem laudes persuaserit? Notate istorum acumen Philosophorum, qui, quum quidpiam vestem esse concedant, negant tamen esse indumentum: quum gladium esse annuant, enses omnino inficiantur. Re namque non minus idem est confirmare, & persuadere, quàm gladius, & ensis; vestis, ac indumentum; & tamen exornationi confirmationem, ut necessariam prorsus isti asserunt, persuasione, ut supervacaneam absurdissimè detrahunt. De partibus satis.

26. Age nunc, instrumenta persuadendi exploremus. Hæc ab eodem Philosopho quot, & quæ constituuntur? sine controversiâ tria, argumenta scilicet, mores, atque affectus: quæ omnia simul, vel istorum singula, ut apertè tradit Aristoteles, fidem faciunt, hoc est, rem confirmant, seu persuadent. Quæro jam: num huiusmodi genera probationum omni causarum generi sunt communia? si assentiuntur, certè & in exornativum cadent, & persuasioni, rem propositam confirmando, opitulabuntur. Sin quis, nescio quo obstinationis afflatu sideratus, A laudationibus mores, affectus, atque argumenta invidet; carebunt nimirum omni fidè Panegyrici, cruntque ex politio.

a lib. 1, cap. 5.

litiones planè commentitise, ac fucò tantùm  
**B** oblitæ, **B** quandoquidem hisce firmamentis, à  
 quibus omnis, quæcunque haberi potest, fides  
 arcessenda est, penitus sunt destitutæ. Nempe  
 Aristoteles, quum hæc universa fidei faciendæ  
 instrumenta esse testatus est, demonstrativum  
**C** genur, tamquam spurium, **C** ac no-  
**D** thum **D** exheredavit.

27. At enim Enthymema, clamant Adversarij,  
 ab exornationibus ipsemet Aristoteles ablega-  
 vit. Ablegavit? ubi, quando, quo in opere? eni-  
 istorum Declamatorum in oppugnandâ exor-  
 nationum fide, fidem omnino nullam, aut  
**A** planè Punicam. **A** Quid enim? an non ille  
 amplificationem a peculiari quodam no-  
 mine laudationum propriam discrete scribit?  
 Quid vero est amplificatio, nisi vehementior  
 quædam affirmatio seu confirmatio, ut omnes  
 tradunt, hoc est, multorum argumentorum  
 congeries validius compacta, atque intorta? por-  
 rò ad strenuè amplificandam in exornativo  
 genere nonne idem Aristoteles multis uten-  
 dum argumentis, si nimirum quis solus, **b** aut  
 primus, aut cum paucis socijs, aut præcipuus  
 ex omnibus præclaram facinus aggressus est,  
 perspicuè asseverat? Monet ille quidem, non  
 abnuo, enthymema **c** magis esse proprium  
 generis judicialis, quàm demonstrativi. At  
 quæ dormitantis Dialectici infantia est, hinc

effi-  
 a lib. I. c. 23. ex Sigonio 3. c. 4. ex Majoragio.

c. 9. ex Trapezuntio. & lib. 3. c. 43. vel 17.

b lib. I. c. 23. vel 34. vel 9.

c lib. I. c. 9. vel 23. lib. 3. c. 43. vel 17.

efficere, in exornationibus enthymemati locum esse non posse? Eodem mentis stupore, atque vertigine statuas etiam, necesse est; in judiciali, atque exornativo genere piaculum esse maximum, exemplarum uti appositione, quia exempla *d* deliberativi magis propria docuit Aristoteles: neque in deliberativa, aut judiciali causa fas esse ullam conflare amplificationem, quia hanc exornationibus, ut magis propriam addixit. Quæ omnia sunt, ut viæctis, malefana ingenij delirantis somnia. Deinde, nusquam, nusquam omnino à laudationibus enthymema removit Aristoteles, quamvis judiciorum magis proprium esse censuerit. Quam verò ob causam, aut quo id consilio ille dixerit, nondum seminatarij *d* Rhetores perceperunt, nondum divinarunt. **A** At ego non patiar istos tam sententiosos Declamatores diutius allucinari. Negat Aristoteles in exornatione enthymematum plenaque opus esse, quia facta ferè composita sunt atque testata. Quod si incredibilia *s* sint, præcipit apertissimè, ut ea omnino adhibeantur: facta verò, quæ certa sunt, pluribus amplificentur. Ecce salebras **B** pugnantium in speciem præceptorum. Nam primo ait, quæ facta sunt in confesso, aut credibilia, ea argumentis, ut confirmentur, non indigere. exinde subdit, illa eadem amplificatione esse exaggeranda. At spissa luculentaque amplificatio an sine argumentis,

&

*d* lib. 3. c. 43. vel 17. & lib. 1. c. 9. vel 17. vel 23.  
*c* lib. 3. c. 17. vel 43.

& quidem validis, & multis, & max mis constari potest? Nullo modo. Quid ergo? num sibi non constat Aristoteles, atque enthymemata laudationibus modò detrahit, dum ratio ab illis ait requiri, modò concedit, dum amplificationes earum maximè esse proprias enuntiat? Codicem, Judices, lastrate oculis, & mentiar, si quicquam aliud vult tantus Philosophus, quam in exornationibus id genus enthymematis, quæ rem factane sit, an non facta confirmet, quum ejusmodi res incredibilis non est, minimè opus esse; illustria quippe facinora semper ferè vulgò nota esse, & pro compertis sine aliâ confirmatione esse accipienda: habere tamen hujus generis enthymemata præcipuam in judiciis sedem, quòd in ijs plerunque de facto incerto sit controversia. At verò illa enthymemata, quæ licet non probent, facinus paratum necne sit, quum pro testato sumatur; ostendunt tamen facinoris præstantis magnitudinem, admirabilitatem, excellentiam, suntque ad amplificationem fabr. candam pernecessaria, tantum abest, ut ille ab exornationibus arceat, ut etiam tanquam maximè earum propria constituat. Testor hic omnium Rhetorum, atque Oratorum quid Oratorum? ipsorù etiam eloquentiæ tironum fidem, quoties in exornationibus ad hanc ipsam rei factique magnitudinem per multiplices amplificationis, ut ita dicam, con-  
**C** tignationes, **C** sensim, cuspidatimque **D** succrescentes extollendam argumenta, atque enthymemata à partium enumeratione, à genere,

tere, ab antecedentibus, à consequentibus à  
contrarijs, ab adjunctis, à majoribus, à pari-  
bus, à minoribus, ab omni denique loco eru-  
ant, ac centurient. E

27. Quum igitur in exornationibus tria  
persuadendi genera mores, affectus, atque ar-  
gumenta reperiantur, quâ. rogo, ex portâ  
somnia illud portentum duxerunt? Adversarij,  
ut finem præcipuum laudationum esse oblec-  
tationem, non verò, ut reipsâ est, explicata-  
rum persuasionem laudum opinarentur? Ne-  
que tamen adhuc desistunt isti obstrepere ac  
vociferari; in Panegyrico, quum facta nota  
sint atque explorata, nihil opus esse argumen-  
tis, sed totum campum amœnitatibus dumtaxat,  
delicijs ac leporibus lascivientis Oratoris  
patèr. O mentis intemperies! A Imò verò A  
si ubi in Oratione loci communes, argu-  
mentorum videlicet sedes, ut magna undique  
rationum vis ad cumulandas laudes conglo-  
betur, excutiendi sunt, in exornationibus  
præcipuè excutiendi sunt, Esto enim facta  
sint compertissima, at factorum multæ præ-  
rogativæ, B multæ virtutes, multæ partes B  
vulgò igno:æ sunt, populiq; fugiunt intelli-  
gentiam. Noverint enim Auditores, faci-  
leq; credant ( ut rem exemplo patefaciam )  
Muri Scævola: errorem propriæ manus vo-  
luntario ulciscens incendio facinus celebra-  
ritum, at quæ in eo facinore emineant vir-  
tutes, Auditorum plerique minimè observa-  
runt. Nam illis ex flammis ingens fortitu-  
dinis in aggrediendo lumen enituit, effulsit  
summa

summa in patiēdo constantia. Quid amplius? Emicuit singularis vindicandæ à seruitio patriæ pietas. Quid præterea? summa extremo in periculo prudentia, miraque improvisi ac subiti consilij sollertia. Verum has, atque alias virtutes pauci eorum, qui facinus illud tenent memoriâ, ad amissim ex-penderunt, pauciores multo, quæ sit deinde, ac quanta harum omnium virtutum præstantia, quanta magnitudo, quanta exuperantia, B B cognarunt. Oratoris igitur artificio latentes hæ in aperto omnibus factæ virtutes, ad solem cognitionis argumentis sunt evocandæ, ea unquam excellentia in suo admirationis lumine amplificationis machinamento collocanda est. Externa enim corporis facies una tantum est, omniumque subjecta oculis. At interiores venæ multæ, abditæ nervi multi, musculi, arteriæ, ossa involuta itidem multa. Haud secus quoque facti cuiusque exterior color unus est, unius ductus lineamenta omnibus obvia. At interiores dotes, aut vitia à vulgaris cognitionis oculis remota permulta sunt: habent multiplices merita laudis, vel probi venas, atque arterias reconditas, tecta habent varia adjuncta, innumeras habent causas, diversos habent fines, sexcentis alijs, atque alijs partibus occultè continentur. Præclara igitur, cunctisque testata facinora varios in vulgus spectanda sunt: ad quædam laudum potentia, ad nescio quæ præconiorum verissima non minus, quàm ingeniosissima ædificia, C C entymematum quæ fuculis C palan-gisque

gisque *D* subjectis, pulcherrimè sunt tradu- *D*  
cenda. Maneat ergo extimam facti, ut ita  
loquar, cutem cuius ob oculos versari posse;  
at ipsa facti præcordia, hoc est, virtutum  
nervos, & prærogativarum fibras *E* Orato- *E*  
rij esse muneris dicendo extrahere, & de-  
monstrare.

29. Verùm quid ego testium auctoritatem,  
ac fidem amplius appello? quandiu rationis  
extremum, atque ineluctabilem ictum differ-  
ro? Loricam induite, immodici ornatu phry-  
giones *A*. machæram altè jam in vulnus *A*  
libro. Agite. Exornationis finem præcipuum  
si oblectationem Auditorum esse fingamus:  
nonne oratoriam artem perimimus, & cum  
Poëtica omninò confundimus? Hæc jure  
suo delectationem per laudes, Panegyricosq;  
nobilitum virorum, quos suis illustrat carmi-  
nibus, perpetuò quàm blandissimè rimatur.  
Si igitur hæc ipsa delectatio non minùs Poe-  
tæ, quàm Oratori proposita sit, qui alter ab  
altero in hujusmodi munere secerneretur?  
Certè Oratorem à Poëtâ solum carmen haud  
satis distinguit, quum & Poeta in solutâ  
quoque Oratione ludere, suasque sine versi-  
bus fabellas voluptatis conciliandæ gratiâ ca-  
nere possit, atque exprimere. Neque hic va-  
riæ oblectationis, quam pro lubentiâ, ac fru-  
stra aliquis comminiscatur, discrepantia  
utrumque se junget; neque diversa Oratoris,  
Poëtæque instrumenta, quibus quisque suam,  
aliamque ab alterâ pariat jucunditatem; ne-  
que diversus modus quo iisdem instrumentis  
singuli

C

singuli utantur, eosdem mutuò inter se distinguet, nam & Poeta mores, atque affectus eosdem, quos Orator adhibet, imitatur: entymemata quoque atque argumenta sibi, Oratorique communia saepe inserit; quæ etiam omnia & in opere numerorum expertè tractare potest: contra verò Orator nonnunquam Poetarum fabulas festivè interponit. Tandem exordia, narrationes, confirmationes, perorationes, & figuræ vicissim commentantur. De stylo autem quid dicam? qui quum à certis numerorum compedibus liber sine carminibus à Poetâ usurpari possit, ab istis Logodædalis Oratoribus ita ad poeticas illecebras exigitur, & conformatur, ut oratoriam dicendi formam in poeticam planè libentiam transcripsisse **B** videantur? Quare nisi altera ars ex diverso fine ab aliâ discriminetur, quòd hæc scilicet universa instrumenta, qua ad gignendam potissimè persuasionem aptè componuntur, ac diriguntur, in censu sint Oratoris: quæ verò oblectationis gratiâ maximè accersuntur, in æro judicentur Poetæ; de oratoriæ, poeticæque facultatis dividuo **C** contubernio actum penitus est, atque **D** utraque in ludicrum, & congestitium **D** E acroama, **E** tanquam vasa Corinthia, **F** misero malefani ingenij, atque judicij astuantis incendio, confiat, inscitiaeque & temeritate ferruginante, **G** coalescit.

*Pramunitio tertia, excludens commentiam Rhetorica Academica formam, immodica venaticem oblectationis.*

30 **P**Ut abam unicum hoc, miserumque per fugium Tullianæ transfugis eloquentiæ superesse, Auditores. Atqui, ut video, altero adhuc, eoq; per angusto desperatissimæ cuiusdam pervicaciæ gurgustio, **A** quo minus dent manus, sese continent, ac tuentur. Nam hæ omnes machinæ, inquit, quas ad persuasionem animorum, tanquam ad finem primarium, in Panegyrico etiam Oratori statuendam tam operosè hæctenus molitus es, si de eloquentiâ, seu Rhetoricâ forense loquamur, validissimæ planè sunt: sin verò de Academicâ dicendi formâ sermo sit, imbecilles omnino, aut prorsus nullæ. Quid enim? Nostra ætas, ajunt, oratoriam artem in duo veluti castra secuit, ac divisit, alteram ut in foro, in senatu, in templis Auditorum persuasionem confectaretur, civili facultati subjecit: alteram, ut in Academicis gymnasijs (quod te imprudentem fugit) delectationem, plausumque maximè quæreret, ab illius legibus quasi severioribus exemit. Quæ sanè Academica eloquentia, licet persuasionis inimica non sit, persuadet tamen, non formidabili illâ quidem argumentorum acie, sed molliore quodam cultu gratiarum, hoc est, Auditorem non tam rationum vi percellendo subigit, ac

C 2

domat;

domat ; quàm Orationis lepore oblectando demeretur, ac trahit. Hæc nimirum est, Auditores, Adversariorum arx munitissima, atque inexpugnabilis. Sed quàm cereis, ruinosisque propugnaculis obvallata sit, levi argumentorum, sed gravium oppugnatione, mecum jam facillè experiemini.

31. Nam primo, etsi hæc omnia Academicis istis Declamatoribus assentirem, nihil prorsus meæ officerem causæ, qui de eloquentiâ Academicâ, vel joculari in hac meâ Actione non loquor, sed de forensi tantum, & sacrâ, gravi, seriâque, ut explanatè, & sine circuitione paulò ante testificatus sum. Deinde, in Rhetoricis Gymnasijs duplicis generis Orationes elaborari possunt. aliæ, quæ ad id, quod Auditoribus explicant, persuadendum aptè sunt conformatæ, & quamvis in literario ludo, aut Academico coetu minimè seriò, sed in speciem tantum, vel ad imitationem haberi soleant; tamen si ex umbrâ ad Solem transferrentur, atque in arenam verè descenderent, Auditorum animos persuasione omnino vincerent, ac devincerent. Atque his quoque Orationibus, etsi Scholasticis, vel Academicis, non oblectationem, sed persuasionem seu primarium finem esse propositam, siquidem eandem formâ dicendi, & persuadendi, quâ forenses, & sacræ, ut liquet, instructæ sunt, manifestum est. Aliæ verò Orationes sunt, quæ seu in Scholis, seu in Academijs declamentur, non solum seriò minimè aguntur; verùm etiam a rei declamatæ, vel peroratae persu-

persuasione in puerilem quendam, ex legem-  
 que ornamentorum luxum deflectunt. At  
 quum hæc Academica declamandi ratio ex-  
 ordii frontem tanto venerum **A**minio illitam **A**  
 inverecundè exporrigat; quum tantâ meta-  
 phorarum grandine confirmationis vestem  
 undique obrutam, tam longo annominatio-  
 num, dictorumque firmate **A** productam at-  
 que expansam **B**immodestè circumferat; quum **B**  
 perorationis non graves cothurnos, **C** sed **C**  
 leves foccos, **D** elatos illos quidem, sed acu- **D**  
 minum farturâ **E** pressos intempestivè subji- **E**  
 ciat; quum totâ Oratione nusquam non cris-  
 patâ, **F** ubique calamistris inusta, perpetuo af- **F**  
 fectionis unguento cerussatâ, impudenter  
 renideat; quum oblectationis demum indaga-  
 trix tam sollicita, plaususque tam impotens ac  
 perditum sic mancipium: quàm vereor, Audi-  
 tores, ne ista non tam hospita sit eloquentiæ,  
 quàm adultera: quàm timeo, ne oratoriæ artis  
 non tam soror, quàm amica, scortumque las-  
 civientis ingenij videatur. Sed agite. Cerus-  
 sam minis mque ex istius fronte vel molli dis-  
 ceptionis spongiâ, ut eam omnes facile a-  
 gnoscatis, deleamus, Auditores.

32. Illud principio sine controversiâ, vel  
 Adversariis ipsis facile ad stipulantibus, **A** tan- **A**  
 quam firmum, atque compertum fumo, nullâ  
 Orationem, ne Academicam quidem, qualem  
 isti delineant, esse posse, quin ad aliquid per-  
 suadendum, quoquo tandem modo persua-  
 deat, de quo nihil in præsens disputo, sic ac-

commodata. Quæ enim oratio argumentis, moribus, atque affectibus orbata; quæ propositione, & confirmatione vacua; quæ amplificatione atque exaggeratione inanis, nomen retinere possit Orationis? Si tu Academicam Orationem vocas, in qua nec ullius questionis vestigium sit, nec ulla appareat confirmatio, nullæ rationes conglobatæ, nulla intorta enthymemata, nulli mores leniùs descripti, nullæ affectiones gravius commotæ, nulla amplificatio vehementius exonerata: jam Orationis nomen, atque notionem ex æquo ad Poetarum fabellas, ad Historicorum narrationes, ad Philosophorum effata, ad Astrologorum problemata trajicis. Imò hæc omnia ferè multò magis, quàm tuum hoc Academicæ Orationis factitium **B** emblema, **C** Orationis nomen sibi meritò vindicabunt, quippe quibus plerunque aliquid ponere, & rationibus stabilire, vel moribus, effectibusve expingere, ut aliquid tandem demonstrant, assensumque ab animo eliciant, decretum sit. Neque ullus omnino sanæ mentis, puto, reperietur, qui, cujus coloris isthæc Academica, & nugatoria Oratio sit, & quàm ridiculè nomen sibi asserat orationis, secum facilè non reputet. Quod si in omni penitus Oratione, etiam Academica, & propositio aliqua initio afferenda est, & ea argumentis confirmanda, solidisque amplificationibus inculcanda: qui, aut quando hæc omnia in ulla Oratione consistent, quin ad aliquam Auditorum qualè qualem persuasionem nitantur, atque grassentur?

33. Sine dubio aliquid negotii nostra Academia Oratio, excipiunt Adversarii in tempore, habet cum persuasione Auditorum. Volumus sanè, ut nostra dictio persuadeat, sed oblectando. Volumus, ut argumenta, mores, & affectus adhibeat, sed quàm politissimè coagmentando, & venustissimè exornando. Persuadendi cura illi non interdici- dummodo oblectandi industria ei cordi sit, ac prima lex: dummodo eloquentiæ ostentatio & pompa quædam divitis ingenij hilaris exposita, totius cõnatus mera deligatur. Rectè. Habemus jam, Auditores, quæ sit Academia Rhetoricæ provincia, quis scopus ac finis. Ego verò possem primò, recenti huic Rhetoricæ facultatis generi ex longinquis ingenij peregrinantis regionibus ad Urbem veræ eloquentiæ appellanti cancellos, ut infestis lue temporibus fieri solet, non immerito statim objicere; atque ab eâ, quâ ex Orbis parte, quâ valetudinis, hoc est, sani judicij tessera *A* munita, nostros fines ingressa sit, sciscitari; quumque nullum illa, nisi audacis cujusdam novitatis chyrographum *B B* proferre queat, possem decreto universi Senatus oratorij eam ad contagionis purgandam suspicionem in remoto ab Urbe valetudinario *C* non tantùm quadragenariâ, verum etiam perpetua custodia multare, ac sub- movere. Possem deinde hanc extraneam Rhetoricam in perduellionis *D* crimen vocare, *D* & tanquam à civili abjectam facultate, cui quæ non famulatur ars, artis nomen amittit,

56 P. I. DE RHET. ACADEMICÆ  
quum Academicæ voluptati duntaxat flu-  
**E** deat indulgere, stigmate **E** inscripto pro-  
scribere. Sed hæc omnia, quanquam gravia  
sanè ad profligandos Adversarios prælia, ut  
**G**levioris armatura velitationem **F**hic præter-  
mitto, quò repente totam pugnam revocem  
ad Triarios **G**. Ab istis ergo delectationis  
artificibus jam quero præterea, quum Aca-  
demica eloquentia voluptatem à persuasione  
separatam penitus nolit, sed persuadere co-  
netur oblectando: an oblectationi tanquam  
fini primario obsecundandum putent; an è  
contrario persuasionem ipsam veluti Orato-  
rij muneris præcipuum finem spectandam  
existiment. Quum enim præcipuus finis sit is,  
cui minus præcipuus ancillatur; tradantque  
ipsi Academicum Oratorem delectando per-  
suadere: quis non statim animadvertit, ob-  
lectationem ab eo, tanquam ceteriorem finem  
ad persuasionem ceu finem extremum; aut, si  
maius, tanquam instrumentum ad finem cum  
tali instrumento concinentem destinari?  
Quod si oblectatio, quasi instrumentum ad  
aliud ultra finem obtinendum porrigitur,  
ipsa profectò finis princeps nullo modo esse  
potest. Quid enim aliud est oblectando per-  
suadere, quàm dare operam, ut oblectatio-  
ne demulcendo Auditores, ab iisdem persua-  
sionem eblandiaris? quid porro est persuasio-  
**H** nem oblectationis illicio **H** eblandici, quàm  
oblectationem velut instrumentum ad per-  
suasionem, ceu præcipuum finem dirigere?  
**P**iscator, qui hamatâ escâ piscem captat,  
quor-

quorsum ejus ob oculos edulem I bolum K. H  
 demittit? nempe ut voluptatis titillatione K  
 tanquam instrumento ad prædam piscis, velut  
 primarium finem utatur. Et qui brachium  
 tãtopere scalpit, fricat, ac refricat chirurgus,  
 donec eo penitus obstupefacto, venam nihil  
 ferè sentienti ægro incidit; quò illam, quæso,  
 perfictionem incisuræ præviã, nisi ad se-  
 candam venam, hoc est, tanquam appositam  
 præparationem ad finem consequendum præ-  
 mittit? Haud secus quoque, dum oblectatio-  
 nis hamo in pertuasionem trahere vis Audi-  
 tores, scilicet oblectatione, tanquam instru-  
 mento, sive tanquam præparatione quadam  
 præviã, viam tibi ad metam præcipuam per-  
 suasionis attingendam munis ac sternis.

34. Postremo, si oblectationem finem præ-  
 cipuum esse contendas Academici Oratoris;  
 repetam, quod supra jam objeci, rursus à te  
 Rhetoricam artem cum Poeticã misceri, &  
 perturbari. Satis hoc inexcusabile crimen  
 Adversariis meis, ut nihil addendum sit, pau-  
 lo ante exprobravi; ac demonstravi. Quare  
 quum hæc Academica dicendi forma, re-  
 censque nata Rhetorica oblectationi concin-  
 nandæ, tanquam fini potissimo, persuadendi  
 cui, aut omisã penitus, aut à tergo relicta,  
 se totam devoteat; nunquam se cum Orato-  
 re, legitimis nuptiis, maritabit; nunquam se  
 cum lascivientis Declamatoris ingenio, nisi  
 scèdissimo adulterij probro in dotem nume-  
 raro, pellex A perdita copulabit. Quod si A  
 Adversarij argumentis adacti, persuasionem  
 C 5 finem

finem Oratoris præcipuum tandem fateantur, illamque oblectationis blanditijs quàm maximè ab Auditoribus exprimendam velint: quum nos etiam unà cum omnibus dicendi magistris Oratorium oblectamentum persuasioni lenocinans serendum doceamus; sublata erit inter nos omnis ferè umbra diffidii, nullaque penè, nisi fortè de modo ac vi delectationis, qualis nempe, & quanta ad persuasionis finem requiratur, aut tolerari queat (de quo infra pluribus) nulla, inquam, **B** nulla quasi supererit controversiæ orbita **B** aut vestigium. Quippe satis mihi, superque hoc unum est, quod à sicutis istis Declamatoribus enixè studeo obtinere, finem potissimum Oratoris etiam Academici alium, quàm Auditorum persuasionem, nullum esse, aut fingi posse.

*Quomodo Auditor in exornativo genere de facultate judicet Oratoris.*

35 **A**T restat unum telum, cujus acuminè mirè sibi blandiuntur Adversarij, planeque triumphant; nullo tamen negotio repellendum. Oblectationi, inquam, tanquam laudativa orationis moderatrici primariæ, ac fini omnia eo in genere ancillari, nullus inficiari potest, nisi qui Aristotelis \* de arte Rhetorica libros nunquam inspexit, in quibus quum mirificus ille Rhetor triplex causarum genus pro triplici Audito-

\* Lib. 1. cap. 5.

ditorum conditione distinxisset, exornativo eos solum Auscultatores adscripsit, qui de Oratoris facultate judicarent. Hic isti voluptatis affectu strepunt, hic tripudiant, hic usque ad ravim *A* vociferantur. Quæ hic *A* mentio, aut suspicio persuasionis? Judicialis sane generis, ac deliberativi hic finis est. at demonstrativi nunquam omnino. In hoc enim Auscultator nullam ad rem judicandam, aut deliberatione terminandam impellendus est. Sed eo tantum nomine aures accommodat Oratori, quod magnum ab illo, valde eminentis, plenum admirabilitatis, totamque ad ostentationem compositum artificium, quo summo opere delectetur, tanquam melle nectareque suavius præstolatur.

36. Hæc vehementissima est Adversariorum impressio, hæc fulminea catapulta. *A* Verum *A* aspiciate, quaeso, quam minimè formidolosè, quam nulla difficultatis inclinatione, sed animosè strenueque totum istum globum sim rejecturus. Primò, ex hisce voluptatis servis percontari lubet, qui locum hunc Aristotelis perobscurum cum tot alijs maximè perspicuis à me proximè recitatis è regione apertissimè pugnantibus ipsi componant. Amens sim, si nodum hunc Gordianum, *B* *B* quando aurium titillationem exornationum finem pertinacius tueri volent, alio, quam desperationis gladio dissolverint. Certè plurium locorum, quos protuli, dilucida planaqué sententia unius loci dubia involutaque interpretatione antiquari *C* non potest, Quid *C*

C 6

f

60 P. I. DE ORATORIS FACULTATE

si deinde ne hoc quidem testimonium quicquam istorum delicijs Oratorum patrocinetur? Adeste hic auribus, atque animis alacres, Judices. Eo in loco quum tres in formas Auditores tribuat Aristoteles, ponatque alios de futuro statuere, quos deliberationibus addicit; alios de præterito, quos judicijs assignat; demum subdit, Auscultatorem, seu Panegyrici Auditorem de Oratoris facultate judicare. Quid hoc rei est? quæ horum sententia notioque verborum? Perinde omnino est, ac si dixisset; tempus præsens à tali Auditore spectari. ac nisi id ille innuat, sui inmemorem, mancum, curtumque; Philosophum esse, concedant, necesse est. Quum enim ibi causarum, atque Auditorum genera ex diversâ temporis ratione partiatur; ubi præteritum, futurumque; deliberationibus, & judicijs attribuit, suum etiam exornationibus, hoc est, præsens necessario erat designandû: & tamen nihil deinceps de tempore præsentis laudationum proprio ultra ille memoravit, ut non obscure indicaret, hoc idem tempus præsens in Panegyricis ab Abscultatore, quum eum de Oratoris facultate judicare scripsit, attendi. Majus enim nescio quid, qui laudat, quam qui accusat, aut suadet, profitetur. Isti facile, quæ Iudicibus, ac Disceptatoribus ignota sunt, ex præterito promunt, aut exituro sollerter conjectant, longeque proclivius suis possunt imponere Auditoribus. Ille verò, qui laudat, quum in Oratione ea facinora, quæ in omnium oculis sunt, pertractat;

toto

IN GENERE EXORNATIVO. 6r

toto ingenio niti debet, ut rem præsentem, notamq; intuentibus Auditoribus, vult per occulta summi artificii machinamenta, ac prodigiosa amplificationis automata, D<sup>i</sup> in D<sup>i</sup> immensam quandam educat magnitudinem, eamq; mirâ persuasionis dexteritate credibilem omnino animis admoveat Auscultatorû. Atque hoc demum amplificandi artificium, quod tamen totû ad persuasionem dirigitur, illa illa facultas est Oratoris, de quâ Auscultator, tanquam oculatus spectator, judicat, eamq; ab illo requirit, cujus molimine fidem assensumq; explicatis, amplificatisq; ab eodẽ præconiis tribuat. Addo etiam, quum in laudationibus omnia ad laudes persuadendas præcipuè exornentur, & longè uberius, quàm in reliquis causis, florentis eloquentiæ exulret opulentia, atque interdum licentior quædam se prædat ostentatio; rectè in his iudicium de Oratoris facultate ab Auscultatore ferri, Aristotelem asseverasse. Cæterum, quis sit Rhetoricæ Academicæ finis, oblectatio, an persuasio, quia de eâ disceptare mihi in animo non est, neque consilio meo quicquam adversatur, diligentius porro exquirere, supervacaneum est.

*Præmissio quarta definiens, qualis ornatus in exornationibus requiratur, qualis repudietur.*

37 **H**ic enim verò, Auditores, magnû mihi videor exaudire Adversariorû clamorem,

C. 7

rem,

rem, & quasi omnia eloquentiæ ornamenta  
**A**penitus sint conclamata, *A* his tumultuan-  
 tium vocibus undique certatimque me oppu-  
 gnari. Ergone ab Oratione omnis concin-  
 nitas, omnis metaphorarum lepos, omnes  
 acuminum veneres arcendæ sunt? Squalor  
 tantum, situs, ac macies quædam styli omnia  
 occupabit, & deformabit. Deliberativæ, Ju-  
 dicialesque causæ, detritâ atq; incultâ lacernâ  
**B**Bindutæ, per curiam & forum tantummodò  
 incedent? malum! Sed ferendum utcunq;. At  
 in Demonstrativo genere, quod totum jucun-  
 ditatis causâ comparatum est, & artem scitè  
 venusteque dicendi non modò habet, sed pro-  
 fitetur, in quo & sententiarum gratia paranda  
 est, & arguti, certique periodorum ambitus  
**C**graphice describendi; quis pædorem, *C*ri-  
**D**stitiam, atq; horrorem strigosæ *D*ferat Ora-  
 tionis? Hæc sunt, opinor, ne quid asperius  
 dicam, hominum festivè somniantium anilia  
**E**terriculamenta. *E* Nam quis est tam severi  
 supercili, quis tam agrestis ingenii, ut omnè  
**F**rudum *F* cultumque invideat Orationi?  
 Ecquis Stoicus tâ siccus ac jejunos aliquando  
 fuit, quin longè majorè popularibus causis,  
 quàm philosophicis disputationibus; & exor-  
 nationibus, quàm cæteris generibus, largi-  
 retur festivitatem? Quasi verò ullus unquam  
 in literariis Gymnasis tiro tam bardus,  
 ullus tam fungus, vel stipes existat, quin ipso  
 penè Rhetoricæ facultatis in limine intel-  
 ligat, certa quædam schemata, & lumina,  
 suas argutias, atque sententias, verborum,  
 rerumq;

rerumque ornamenta quum omni Orationi pro loco, causâ, tempore, ac personis, tum verò laudationibus maximè jure deberi, & propria esse? Nolite, quæso, ornamentorum Myropolæ, G in re minimè controversâ tritari H putidè. Ornamenta, sententiæ, G acumina ne detrahantur Orationi, metuitis? H non detraho. Demonstrativum genus majore quodam nitidioris eloquentiæ apparatu gaudere contenditis? non repugno. Breviter, atq; explicatè, ne quis vestrum contra hiscere & deinceps possit, quid totâ hac de re sancitum habeam, accipite.

38. Ego ornatum illum, sive rerum, sive verborum, acuminum, vel sententiarum; argutiarum, aut venerum, non invitus recipio omnem; quin ultro etiam requiro, qui, quum Oratoris fini, hoc est, persuasioni consequendæ nihil incommodet, eidem insuper perficiendæ conducit: illum verò, qui cum eodem fine vel rectâ pugnat, vel ex obliquo ipsi quacunq; tandem ratione officit, omnem proscribo, eidemque igne, atque aquâ penitus interdico. Datur igitur in exornatione venia hilarioribus descriptionibus, datur amœnioribus flosculis, datur acutioribus sententiis. Patior. Digressiones aliquando interferuntur. Conniveo. At illud semper arctè tenendum, illud præ oculis continuò habendum quum cum fine Oratori proposito hæc omnia, & similia consentiant. Nam si quis putaret licere Oratori arbitratu suo, modò in hanc, modò in illam ab causâ disjunctis-

simas

finam digressionem intempestivè divertere; nã ille toto, quod ajunt, caelo aberraret. Quæ enim magis posset esse præcepta licentia, quæ magis insana temeritas? Verùm sapientissimi dicendi magistri, quum hujusmodi præceptis suos imbuunt discipulos, hoc tantum docere cupiunt, id genus amœnitates ad rædium vel longioris Orationis, vel tristioris argumenti, vel alterius incommodi levandũ, nunc ad palpandos Judices, jam ad irridendos Adversarios, modò ad diluendam testium fidem, nunc denique ad alia consimilia officia, quæ tamen omnia cum causâ, sineq; Oratoris copulata sint, aptè & commodè posse usurpari.

39. At intercedet hic aliquis huic psephismati *A* ac legi: Liberior multò, inquiet, in exornationibus Oratori patet campus, quàm ut has in angustias, salebrasq; miserè compingatur. Nam si placet ad aures demulcendas venustum aliquid mollioribus sonis modulari; si ad risum excitandum jocis ac salibus liberaliùs sedeat *B* indulgere, si ad curiositatis delicias condiendas acuminibus argutisq; infercire arrideat orationem, si ad voluptatè afferendam lepores omnis generis, ac lumina lubeat frequentare; etsi hæc omnia ad finem Oratori propositum non conferant, nihil refert, satis est, si non obsunt. Quis enim est iste eloquentiæ Dictatorne dicam, an Tyrannus, qui Oratorem, quo minùs ad oblectandos Auditorum animos hujusmodi etiam styli hilaritatibus expolire queat Orationem,

tionem intolerabili audeat severitate, aut potius faviriã prohibere?

40. Verum nihil agunt, nihil moliantur concinnatã, Aut ita loquar, ac plus æquo **A** vibrantis **B** eloquentiã lepidissimi defensores. **B** Nam rursus illud urgeo, nullam descriptionem, quid descriptionem? nullam sententiam, sententiam? imò nullam acumen, nullamque particulam in Oratione otiosam esse tolerandam: omnia, quæ persuasionis fini obrinendo non favent, de medio prorsum esse removenda. Quid enim? si nulli sunt usui, quin tuto omittuntur? si persuasionem nulla ex parte promovent, quorsum intruduntur? At oblectant Auditorem. Esto. Sed illa oblectatio ab ejusmodi Orationis afflata mulso, **C C** quæro, Auditoremne reddis magis attentum, vel Oratori magis benevolum, ut quæ deinceps ille dicturus est, lubentius auscultet, auditis facilius assentiat, persuasionemque proclivius accipiat? Si hujus notæ, ac generis est illa delectatio, quis non videt, eam cum persuasionis fine esse sociatam? Sive enim proximè, sive longius ad finem ducat, dummodo eò feratur, nihil moror. Quin ego ipse, qui omnem ornatum, quicumque, & quantumcumque sit, modò Oratoris fini obsequatur, jam antea non solum à me probari, sed expecti etiam professus sum, ejusmodi oblectationem per has illecebras vengeresque concinnandam pronuncio. Sin autem eã delectatio Auditorum animos vel avocet à causã in longinquum; vel intemperantiùs exhilarat; vel

vell

## 66. P. I. DE ORN. EXORNATIONUM

vel motum, quem jam intorta enthymemata excitant, restringit, aut certè refrigerat; vel fidem explicatarum rationum sensim imminuit; vel gravis, robustæq; orationis paulò ante vibratæ recentem obscurat memoriam; vel ad ea, quæ proximè subjicienda sunt, Auditorem non præparat, sed præpedit; si demum à persuasionem quacunque tandem ratione retrahit, præcidenda omnino est, atque omittenda. Adde etiã, etsi ejusmodi sermonis irritamenta fini assequendo utcunq; interserviant; siis prætermittis, alia rationum momenta, eorum explicata loco, melius, firmitusque ad eundem perducant finem, amputanda itidem esse, ut validioribus locus rationibus concedatur. Alioqui si satis est, Auditorum aures qualicunque oblectatione detinere, licebit in rerum ab Oratione alienissimarum importunas descriptiones excurrere; licebit allegorias è locis causæ nostræ contrariis educere; licebit omnes deliciarum flores temerè carpere; licebit cunctos annominationum lusus

**D** jocosq; velut in mergitem, **D** ac fascem perturbatè colligare. Quo quid dementius deliræ anus excogitare possint, equidem divinare nequeo. Hæc igitur per se ita perspicua si quis adhuc inconsultè neget, cui tandem veritati subscripturus sit, planè non video. Nam si hoc cuivis naturâ duce in confesso est; si sine potiri velis; omnia, quæ, quo minùs eo potiaris, te remorantur, esse amolienda; quæ infania est, eam Auditorum voluptatem quæ illos à persuasionem vel penitus abducat, vel

certè

certè retardet, venari? Quare non ornamentis omnibus, non acuminibus, non argutiis, non sententiis, non aliis hujusmodi coloribus spoliamus Orationem; sed nimiam tantum frequentiam carpimus, immodicum usum coercemus, effrenem quandam intemperantiam reprehendimus.

*Præmissio quinta, exploratè demonstrans, quomodo acuminum aut ornamentorum vitiosa redundancia à castigata eorundem moderatione secernenda sit.*

41. **S**ed ne in confirmationis paulò post à me texendæ structurâ nodus ullus tanquam in scripto **A** ab Adversariis quæri **A** possit, quid sit hæc ornamentorum exuberantia, **B** quam sugillamus; quid eorundem **B** temperatio, quam laudamus, præcisè enucleateque pluribus edisserendum est, ne, si incertis finibus utramque confusam relinquamus, unam pro aliâ nostri isti oblectationis **C** Cupedinarii **C** sibi curæ esse subdolè præferentes, densamque acuminum silvam temperantiæ nomine bellè cohonestantes, extra omnem hujusce Actionis meæ ictum sepositos, ac tutos arbitrentur. Aliam certè ab alterâ uti facilius atque experientiâ, quam sermonis coloribus, aut linguæ penicillo licet distinguere. Nihilominus haud obscuris vestigiis vel intima veritatis cubilia hîc quoque se produunt,

produnt, quæ paucis notare juvat, Auditores.  
**D** Nam sicut in sagittâ eam pinnarum *D* vim  
 ac multitudinem, quæ illi celeritatem atque  
 alas ad scopum attingendum addit, tanquam  
 moderatam, congruentemq; probant omnes;  
 quæ verò complurium plumarum non levi  
 pondere expeditum ejusdem sagittæ volatum  
 retardat, paulatimque à metâ retrahens, in  
 terram deprimat, velut immodicam, atque  
 ineptam meritò improbant: ita ergo illam or-  
 namentorum copiam, quæ rem ipsam, quâ  
 de agitur, ut Auditoris menti altius infiga-  
 tur, fortius vibrat torquetque, ceu moderatâ,  
 atque amplectendam pronuntio: contra verò  
 eorundem ornamentorum ipsissimam desi-  
 gno intemperantiam, quum hæc Auditoris  
 animum à rei propositæ attentione avocant,  
 atque ad Oratoris artificium gratiam, atque  
 ingenium contemplandum, admirandumque, tum  
 inani, & præpostero salutandum plausu, iden-  
 tidem saepeq; transferunt; ac propterea argu-  
 mentorum vim pariter, quo minus in ejusdè Au-  
 ditoris pectus descendant, remorantur unâ,  
 atque frustrantur. Ab attentione verò pro-  
 positæ rei ad Oratoris prærogativas suspi-  
 ciendas Auditores haud raro fuisse traductos,  
 certissimo indicio est, quum hi ab illo dimissi,  
 multam illius eruditionem dumtaxat, aut  
 præcipuè commendant, venusta extollunt  
 æcumina, antithetorum futiles collusiones  
 eximie prædicant, toti sunt in amplâ memo-  
 riâ, doctrinaque celebrandâ: at de re ipsâ, quæ  
 Oratio

Orationis machinâ, scilicet fluxâ atq; enervi,  
 inculcata est, nullum faciunt verbum, nihil  
 se commotos, nihilque ejus sibi hæsisse in ani-  
 mo; sed ita plânè integros, atque in sententia  
 firmos constantesque, quales accesserant, abi-  
 re demonstrant, De honestate autem virtutis  
 capessendâ, de vitij turpitudine detestanda, si  
 in Oratione disceptatum est, nihil mutiunt,  
 E nihil omnino, aut parum valde memine-  
 runt. Vbi ergo in hujusmodi præconia, atque  
 admirationes ingenij, eruditionis, ac me-  
 moriæ Oratoris, Auditores prope universos  
 sese ludibundos effundere; de exposito verò  
 argumento nihil reputare, sed miro illud si-  
 lentio involvere, hæud obscure, viri ornatif-  
 simi, animadyerteritis; germanam ejusmodi  
 ornamentorum luxus syngrapham, F ex- F  
 ploratamque inconsideratâ, ac noxiâ redun-  
 dantiâ notam tenebitis. Cui & hanc alteram,  
 nec minus certâ nunc, quæso, adjungite.

42. Cernatis istam in omnes oras à sole ma-  
 nantem lucem? hæc illa est, quæ, quum in-  
 terjectas rerum formas ita illuminat, ut eas  
 oculus & distinctis & magis ex longinquo  
 intueri possit, oculumque ipsum jucundâ re-  
 creat amœnitate, apta, ac temperata cense-  
 tur; at, quum tanta sese luminis copia in ocu-  
 lum infert, ut ipsum exoculet, Hoc est; ipsum A  
 lædat, præstringat, Bobjectarûq; rerum frau- B  
 det obtutu; utique nimiam illam fuisse atque  
 immodicam omnes agnoscunt, nec pauci  
 suo etiam malo experiuntur. Hæud secus  
 quoque, quum à cõmentitijs hujusmodi Ora-  
 torum

70 P. I. DE MODERATI ORNATUS  
torum pareijs, C hoc est, ab adumbratis  
Solibus tantam Auditorum intelligentiæ af-  
fundi lucem videmus, ut explicatam Oratio-  
ne quæstionem non clariùs illi percipiant,  
sed immodico potiùs sententiarum obruti  
splendore, rerum memoratarum aspectu, &  
consideratione prohibeantur, tum, ignoran-  
tia maximè obscurante, tenebrescant, nimiam  
enimverò nimiam illam acuminum orna-  
tusque vim, nimiam abundantiam super-  
fusam esse, omnes manifestò colligimus.  
Hanc porrò supervacanei ornamenti interno-  
scendi normam certissimam, rogo vos, per  
vestram fidem, atque humanitatem, memoriæ  
non solùm diligenter imandate, sed accuratè  
etiam observatam penitus insculpite. Ad  
hanc ad hanc Orationes omnes, Cõcionesque  
quotquot auditis, aut legitis, exigite; & quo  
unaquæque Auditores à propositæ rei argu-  
mento perpendendo ad Oratoris præstantiam  
admirandam minùs abduxerit, eo meliorem;  
quo magis verò magisque abstraxerit, tanto  
deteriorem existimate.

43. Quod si aliquis hæc veluti vestigia rele-  
gens, nec dum, ubi ornamentorum, acumi-  
num præsertim, ista redundantia habiter,  
ubi versetur, satis perspicit ( quanquam si  
attendat, si intelligentiæ illa, ut ita dicam,  
A divortia, A animique avocamenta, B quæ  
B jam perstrinxi, diligenter observet, perspiciat,  
necesse est ) affero alium præterea ad hanc  
C ipsâ ornamentorû luxuriâ deprehendendâ cõ-  
D pertissimæ fidei testem, C ac discerniculum. D  
Nam

Nam quū facti alicujus, aut actionis simplex, nudaque de egregio aliquo viro, Historici stylo candidè exarata narratio Lectorem magis afficit, eidemque viro magis devincit, quàm de eadem actione factove integra Oratio, vel Concio operosè conflata Auditorem feriat, ac demereatur; certissimū est. hujusmodi Orationem, vel Concionem, si cæteræ quidè Rhetorices Leges in ea fabricāda in usum omnes sint revocatæ, sed hisce pigmentis illam delibutam esse constat, ornatus intemperantia lascivire. Quæso vos, quid hic ego affirmaverim, non solūm expendite, verūm etiam syllabatim repetite, Auditores. Non dixi integrum totumque Historici volumen Divi alicujus actiones omnes complectens ad percellendum Lectorem magis, quàm unius duntaxat facti adornatam laudationem ad Auscultatorem demulcendum, valere: ne quis statim in comparatione vitium notaret, jureque exciperet. *E* Sed pensiculatè *F* hinc Historici meram uno de facto narrationem, illinc de eodem soloq; pariter facti Oratoris Panegyricum è regione constitui, mutuoque composui: tum consulto subjeci, iterumque in præsentia confirmo, quum ejusmodi Historia audita, vel lecta Auditorem, aut Lectorem magis, quàm de eadem re Oratio, aut Concio item audita vel lecta, movet; hanc, licèt alioqui cæteris omnibus perfectam numeris, istarum venerum luxu esse corruptam Quum enim Oratio, præsertim Panegyrica, luculentis amplificationibus splendere debeat: ampli-

E  
F

amplificatio autem nihil aliud sit, quàm vehemētiorem quādam affirmatio, quæ nēpe facti, quod ab Historico simpliciter, & sine fūco describitur, adjuncta omnia enucleat, atque exaggerat; à quavis amplificatione, multoq; magis ab Oratione universā ex pluribus contexta amplificationibus, duplo saltem majorem impressionem in Auditoris animum, quàm à sola facti narratione, fieri par esset. Si quam enim laudem nuda illa facti narratio alicui viro apud Lectorem asserit; quanto magis amplificatio ejusdem facti tanquam admirabilis fistucæ G machinamentum altè sublatum, demissumque illam ipsam laudem in Auditoris animum geminatis ictibus adiget? Quid si igitur secus accidat, & simplex Historicus magis, quàm expositus Orator, Auditorem incendat? Tunc liquebit, puto, evidenter, hujus Orationem ad persuadendū minus virium, quàm illius expositionem, habere: ac proinde, si multis ornamentis niteat, nec in ullam aliam Rhetoricæ legem peccatum sit, istorum redundantia opprimi; vel certe si hisce careat, quoquo tandem vitio laboret, omnino esse vitiosam. Quid enim? Quum amplificatio, atque Oratio ea propter elaboretur, ut majorem quandam in Auditore, quàm simplex Historia, commotionem exciter: si ex adverbo, motum ne parem quidem, sed minorem, quàm Historia, in eodem efficiat, nonne perversa, præposteraq; sit, necesse est? Si igitur ea Oratio acuminibus, sensculis, aut alijs ornamentis facta sit, cui hoc

hoc experimento aperta eorundem intemperantia non se prodeat?

44. Geminum huic parq; omnino piaculū eodem prorsus modo apud M. Tullium, in tertio de Oratore notavit, ac perbellè irrisit M. Crassus, quum scilicet Patronus ita dicit, ut, quid velit dicere, difficilius, quàm si ipse ille, qui Patronum adhibet, suā de re diceret, intelligitur. *Ipsi enim (inquit) qui ad nos causas deferunt, ita nos plerunque ipsi docent, ut non desideres planius dici. Easdem res autem simul ac Fufius, aut vester aequalis Pomponius agere coepit, non aequè, quid dicant, nisi admodum attendendo, intelligo: ita confusa est oratio, ita perturbata, nihil ut sit primum, nihil ut secundum, ita rāq; insolentia, ac turba verborum, ut oratio, qua lumen adhibere rebus debet, ea obscuritatem & tenebras offerat; atque ut quodammodo ipse sibi in dicendo obstrepere videantur.* Hæc M. Crassus. Ut igitur Patronus, quum non solum obscurius, quàm cliens, dixit; verum etiam quæ hic clarè docuit, dicendo obscuravit, ineptus, atque præposterus, quòd rebus sibi à cliente propositis non tenebras, sed è contrario lucem dare debuerit, illico iudicatur: Ita senè, quum simplex Historiam Lectorem magis, quàm Auditorem Orator eadem de re differens commovet; quod tamen contra, hic longè magis, quàm illa afficere deberet, flagitiosæ eloquentiæ chirographum minime anceps ea in manus porrigit. Atque hinc, Auditores, complurium Concionatorum dicendi aciem, ut ita loquar, huiusmodi cote

D

ten-

tentare licet, atque experiri. Nam si horum  
auditis de sanctissimâ Coelorum vitâ lauda-  
tionibus nullos vos pietatis igniculos conce-  
pisse, nullâ vos eorum veneratione, aut cultus

**A** divini cupiditate tangi; nullo benevolentiae  
tacito quodam magneti ad ipsos rapi senti-  
tis; contra verò perlectis ex Historiâ eorundem  
Diuorum egregiis facinoribus, subito amo-  
ris vinculo iisdem vos adstringi, virtutum  
admiratione capi, imitandi que studio ardere  
animadvertitis: quis vestrum illico non agno-  
scat eiusmodi exornationes mancas, ineptas,  
absonas, acuminû luxu, vel alio quoquo vitio  
**B** esse temeritas? Itane nuda, & muta Histori-  
ci narratio, magno silentio pacate que lustra-  
ta oculis, vos Lectores vehementius, quam  
Oratio opulenta, etsi tanto insuper verborû,  
rerumque apparatu instructa; etsi actionis etiam  
machinâ potentissimâ excussa; etsi voce, ma-  
nibusque intorta, vos eosdem Auditores in-  
flammasit? Unde id monstri, nisi ex ornamen-  
torum, quibus Oratio non distinguitur, sed  
confunditur, immoderato luxu?

45. Neque verò est, cur hic sero sapiant (quâ-  
quam haud serio) aut sapere se fingant per-  
**A** elegantes nostri Phryges. Non est, cur  
phalerati isti Oratores hanc ornamentorum  
intemperantiam sibi quoque displicere caus-  
**B** sentur, astuteque comminiscantur. Non  
est, cur obtendant, se lepores & delicias  
elocutionis in dicendo quidem adamare, sed  
redundantiam odisse: frequentare se schemata  
& lumina, sed confertarum opû fugere ostenta-  
tatio-

tationem. Homines planè sagacissimi, ubi tot suis ornamentis ad incitas se redactos vident, quas se in formas non vertunt, quas præstigias non architectantur? Sat scio, istos ore quàm blandissimo, & linguâ quàm modestissimâ, quum argumentis urgentur, persanctè affirmare, sibi harum illecebrarum moderationem in dicendo cordi semper esse; contra verò fatuam exuberantiam monstro pejus invisam. Dicuntur hæc quidem ab illis in speciem pulchrè ac scitè, at reapse si hujusmodi voces ad experimenti trutinam revocentur, non tam ignem cum aquâ, aut cum luce tenebras pugnare, quàm istorum facta à verbis dissentire reperiemus. Temperantiam harum amœnitatum se consecrari bonis quidem illi verbis pollicentur. Sed eorum pollicitationes cum iis, quas expoliunt, habent, eduntque, Orationibus, atque Concionibus, quæso, contendite; amens sim, si densius uspiam ruunt, liceat mihi ita loqui, ac in unum nimbi, aut immensus quidam fensiculorum D eataclysmus tam præcipitanter exoneratur. E Quàm multa enim Auctorum monumenta, tanquam sata, procellosâ istâ acuminum F grandine, lædaque luxuriantium ornamentorum tempestate nimium quantum flagellata possem, si luberet, appellare? Non est, cur quis fingi à me Adversarium, aut pro arbitrato, eloquentiæ prævaricatorem apponi, vel emi suspicetur. O si se hujus facinoris Rei nominari paterentur! o si liberè suas sibi dictionis intemperias, ac veluti malè venditas merces

Grædhiberi non indignè ferrent ! quas , & quot harum decurias , quot manipulos , numerando percenterem ! Sed nolo quenquam designare , Judices , neminem appello , maloque totam hanc meam accusationem ad vitium ipsum dumtaxat , temporum iniquitate serpens , quàm ullas ad personas , vel scriptores pertinere.

*Præmunio sexta, explicans, quam sit Ciceroniana Eloquentia.*

A 46. **V**erùm quia hanc acuminum ornamentorumque redundantiam , non solum quò ab omnibus rejiciatur , profligaturus sum , sed etiam ex adverso Tullianæ eloquentiæ decus , quò ad imitandum cunctis proponatur , in folio collocaturus : ne quid dubitationis in verbo vestram intelligentiam moretur , Auditores , in antecessum moneo , me Ciceronianæ eloquentiæ nomine non solum illam , quâ aliquando M. Tullius in iis Orationibus , quarum adhuc monumenta retinemus , usus est , intelligere , sed illam etiam , quam pro materiæ varietate , atque opportunitate adhibuit , & verò multo magis , si nostrarum argumenta Concionum tractavisset , sine dubio fuisset adhibiturus. Nam etsi Tulliana dictio atque oratio alicubi fortasse aridior , aut jejunior videatur , tota hæc qualis qualis siccitas ipsi potiùs materiæ , quam versabat , quàm ejusdem eloquentiæ , quâ illam exornabat , adscribenda est. Nempe

ser-

serviebat ille foro præcipuè, ac populo, ejuf-  
 demq; generis multas causas identidè agere,  
 ac repetere cogebatur; nec nõ de rebus omni-  
 no exiguis emptus Orator frequenter dicere  
 necesse habebat; ut propterea argumenti, &  
 materiæ iniquitate sæpè numero preffus, vim  
 illà suam eloquentiæ incredibile efferre nullo  
 modo potuerit. At quando materiã nactus est  
 gravè, egregiam, ac nobile, tũ vero beatissimæ  
 suæ in dicendo copiæ divitias nontantum  
 fudit, sed etiam profudit. Quod si ævo no-  
 stro, nostrã initiatus religione, viveret Tul-  
 lius, sacrarumque argumenta Concionum  
 præstantissima stylo suo exornaret; nihil  
 profectò eloquentius, nihil sollertius, aut  
 vehementius audiri posset. Perinde igitur ac  
 peritus navis gubernator, quando eam im-  
 pegit vadis, artis specimen edere nullum po-  
 test; at mediis in fluctibus, in turbido, & pro-  
 celloso mari peritiam suam ostendit, ac pro-  
 bat; sic Ciceroniana eloquentia, quum in me-  
 diis Concionum fluctibus, atq; turbinibus ma-  
 ximè exultet, ac regnet, si quando causarum  
 salebris impeditior, atq; tenuior evadit, in ma-  
 teriæ ipsius, ut ita dicam, vada syrtesque tota  
 hæc culpa inclinanda est. Tullianam igitur e-  
 loquentiã hic illam definimus, quam quicun-  
 que Orator, vel Concionator, ad Tullianas  
 leges, hoc est, ad elegantissimum Ciceronis  
 stylum, ad vim illam roburq; verborum, ac re-  
 rum, ad eam ingeniosissimi artificii texturam,  
 ad illam amplificandi normam eximiam ex-  
 poliens, quacunq; in linguã aptissime imita-  
 tur.

*Totius Confirmationis meta depa-  
gitur.*

47. **O** Peræpretium fuit, Auditores, hæc  
omnia, antequam propius manus  
cum Adversariis conferam, paulo distin-  
ctius, atque uberius exponere, ut clariùs, cer-  
tiusque in quo tota quæstionis, ac dissensionis  
Astirps versetur, in propatulo collocetur,  
quò deinde eos in angustias redactos pressius,  
atque valentius possim configere. Quum igitur  
Oratoris, vel Concionatoris finis præci-  
pius, non proprii gloria nominis, neque Au-  
ditorum oblectatio, ne quidem in Panegy-  
ricis, etiam Academicis, sed Auditorum  
dumtaxat persuasio quolibet in genere, ut  
ostendimus, statuendus sit: quumque ornatus  
rerum, verborumque à me non repudierur, sed  
redundans tantum, qui que persuasionis finis  
incomodat; qui verò eidem opitulatur, ultro  
à me laudetur, ac requiratur: nec non certam  
exploratamque tesseram Orationis nimio cultu  
luxuriantis à temperatâ internoscendæ in  
medium attulerim; atque hujus ope, ductuque  
ornatus istos vindices explicatæ obnoxios  
intemperantiæ, cujus solius causâ eos ego  
hac in Actione reos ago, probaverim; tum  
Ciceronianâ formam eloquentiæ tempestivè  
descriptam oculis vestris subjecerim: accedo  
tandem ad eam fidem, quam dudum antea  
oppigneravi, liberandam, doceoque tam Ora-  
tiones, quam Conciones, ornamentis, maxi-  
me acuminum & sententiarum, intemperan-  
ter

ter fucatas & pictas, corruptissimo eloquentiæ genere summopere esse depravatas.

48. Concedent, opinor, hic mihi non inviti Adversarii mei, quodcumq; instrumentū, quod fini suo consequendo aptum non est, omnium suffragiis, macum esse, inconcinnum, ac perversum. Sic nimirum penicillum, ex milii conflatum paniculis pingendo intractabilem pictor explodit; sic malleum è cera compositum tundendo inhabilem aurifex irridet; sic citharam non fidibus, sed similibus intentam edendo concentui absonam citharædus exhibilat; quia istæ omnia instrumenta ad proprium cujusque artificis finem obtinendum minimè sunt accommodata. Quid porro, quæso, Oratio, quid Concio est, nisi instrumentum ad finem persuasionis utriusque propositum eblandiendam, vel etiam extorquendum operosè conditum? Si igitur istorum quum Orationes, tum Conciones, tot ornamentis, præcipuè acuminum, superfluentes, ad hanc ipsam persuasionem in Auditorum animis ingenerandam, ineptas, finique suo nullo modo consentaneas revicero; nemo credo, rationis compos, quin me causâ superiorum, ac secundum me judicet, reperietur.

49. Agite ergo, Auditores, quænam tandem illâ sunt, quæ animorum persuasionem, Oratorium videlicet finem, conficiunt? tria omnino, ut jam tetigi, omnesque dicendi magistri cum Rhetorum antesignano Aristotele consentiunt, rationum scilicet pondera, mo-

rum lenocinia, affectuum fulmina. Quid si jam ego nihil istorum ab Adversariis, nisi perperam, adhiberi, tractarique, firmiter, ac nervosè probavero? Nihil ego vos moror. Agite, experiamur.

*Partitionis I. membrum. Ornamentorum redundantiam argumentis vacuam esse, vel levibus tantum sufful-*  
*sam*

50. **A** Primo ordiens persuasionis machinamento, frequentiam hanc contortularum sententiarum ad questionem ratiocinatione confirmandam ineptam esse jam vobis, Judices, planum facio. Piget me adumbratis illis Oratorum simulacris, qui in Orationibus nihil minus satagunt, quam illam munire rationibus; qui quas tractant res, an persuasioni serviant, nihil habent pensæ; contra verò, totam industriam in conglomerandis acuminibus sensiculisque collocant, de argumentis intorquendis mentionem ullam injicere. Sed liberalius agam cum illis. Patiar mihi hodiernam luce imponi, patiar me non imprudentem traduci. Consilium Adversariis meis, ac studium in Oratione cavendi inesse non abnuo, vel ultro eorum indulgeo. At quas tandem hi, & cujus notæ, vel ponderis rationes possunt coagmentare? bellulas, scitulas, pulchellas, opinor; sine dubio pulchellas. Cernas melliorum declamatorum in Ora-

Orationibus acumina argutiis contexta; succedunt festivi joci, hos aculeatæ excipiunt sententiæ; mox hinc atque illinc antitheta subsiliunt; passim descriptiones lasciviant, ubique annominationes, falesve tripudiant. At in his omnibus quæ rationis umbra, quod vestigiū esse potest, ubi cuncta longè arcessita? ubi omnia perversa, ubi nihil propriū, nihil nisi plumā, & vento levius? ubi emendicatis usque ad insaniam coloribus, argumentorum species omnis ac forma decoloratur? Mitto jam reprehendere, quàm multa plerunque dura, atq; aspera intrudantur; mitto quàm sæpe frigida, quàm crebrò dissentanea: mitto, quàm absona nonnunquam, puerilia non raro, obtusa frequenter, hisce Oratoribus tam subtilibus sint in pretio, ac mirè placeant: mitto, quoties rei, de quâ disserunt illa, quæ ita expoliunt, atque acuunt, non cohæreant: mitto, quàm sæpe mutuo sibi adversantia committant, quàm sæpe calida frigidis, siccis permisceant humida, ut scilicet postremo univèrsa perturbent. Hæc omnia, inquam, istis tam sagacibus, sollicitisq; ornamentorum indagatoribus non invitus condono, quamvis intolerabilia sint, quæ vitupero.

51. Sed fac eos demum, nescio, quid rationum suas in Orationes cogere; fingamus illos, nescio, quid argumentorum somniare, & comminisci; quàm erunt tamen ista exilia, quàm imbecilla, quàm exsanguia? Quis enim unquam Rhetoricam, aut Dialecticam vel à

limine salutavit, quin illico perceperit, ex omnibus rationum generibus nullas inermiores, aut languidiores, quam quæ à similitudine petuntur, quippe quæ neque argumenta sint, sed argumentorum tantum affines quædam, non ad confirmandum, sed ad explicandum accommodatæ affectiones, reperiri? At istorum Oratio quibus, obsecro, rationibus, quibus enthymematis vel argumentis muniri potest? Sed quid ego rationes aut argumenta commemoro? Intempestivis illa metaphoris tota scatet; perpetuis involuta allegoriis sepelitur; denso oblita minio, adulteratur; suavibus aurium illecebris delinita, perfunditur. Et quibus demum enthymematis novi isti eloquentiæ Ipromicondi, nisi commentitiis ac simulatis, niti possunt? Larvæ, quæ vultibus inducuntur, larvæ sunt, non vultus. Imagines, quæ homines reddunt, imagines sunt, non homines. Conferte jam larvarum colores cum vultuum lineamentis, & suavitate, frigida statuarum marmora cum viris spirantibus. Quantum discriminis hæc in speciem ita conjuncta disjungit? Quam longâ naturæ intercapedine, etsi colore, locoque sociata, distinctentur? In homine adsunt oculi, hos exprimit imago. eriguntur aures; has & imago habet. Frons caperata rugis adducitur; hanc imitatur imago. Cirris, annulisque crispata casaries ventilatur aurâ; hanc amulatur imago. manus, pectus, tibiæ, pedes, genua membris, atque articulis distinguuntur;

ARGUMENTORUM. 83

guuntur, hæc etiã omnia repræsentat imago. Sed quid? an imago cum homine coalescit? Scilicet coalescit. In homine hæc universa vitam ducunt; oculi nictant, & vident; G frons exporrigitur, & crispatur; aures sonum percipiunt, & tinniunt; manus explican- H tur, & cõtrahuntur; pectus spirat, cordeq; animatur, pedes ambulant, currunt, saltant. At in imagine cuncta hæc adsunt quidem, sed ficta, sed personata, sed mortua. Reperiuntur in statuã oculi, at non intuentur; reperiuntur aures, at surdis canitur; reperitur frons, sed riget immota; reperiuntur manus, sed duratæ saxo; reperitur pectus, at sine corde; reperiuntur pedes, at sine motu. Lustrate jam animo, si lubet, argumentorũ exercitum, quo delicati isti Oratores instructi sunt. Potissima sine dubio eorum pars, ne dicam, tota acies, ab imagine ac similitudine ducta est. At similitudines argumenta non sunt, sed argumentorum tantum simulacra. Vis, robur, nervi in argumentis sunt. hæc expingit etiam similitudo, sed expingit solum, non habet. Vis, robur, nervi in illis vigent, spirant, animaque constant. at in similitudine color dumtaxat, cerussa & fucus sine spiritu extat, etsi per ipsam similitudinem argumenti quædam vis pelluceat, atque ad Auditoris R animum explicatione traducatur. Quid igitur vitium præ se ferre queunt illa argumenta, quæ pictis tantum nervis imaginum, colorato sumtaxat similitudinum robore, umbratili solum affinitatis spiritu sustinentur? Nempe

ubi omnia metaphoris stipata sunt, ubi metaphorice rationes Gemmatum acuminibus veluti incrustantur, molliumque verborum albario, quasi opere tectorio trulliantur; & confirmatio metaphorica, hoc est, impropria, levis, delumbis euadat, necesse est.

*Argumenta Adversariorum, etsi propria, adhuc fracta sunt.*

52. **S**ed esto. Istorum argumenta pleraque à similitudine non deriventur, sed propriis è locis promantur; vel si à similitudine propagantur, pro argumentis nihilominus habeantur. Adhuc tamen eiusmodi argumenta infirma sunt, adhuc sublesta, adhuc plumbea. Vidistisne unquam à dulcibus pistoribus saccharata crustula, atque placentas nunc in pugionem formari, modò in bipennem flecti, aliquando in hastam produci? quem tandem, cogo, tam mollia, ac delicata arma deterrent? deterrent autem! imò puerorum, credo, palatum potius, quòd eorum gustu, dum recentes spirae calent, frui properent, invitant. Jam ergo liberate vaginis, suavissimi Oratores, jam in mediũ educite, jam expromite vestra argumentorum arma; nunc, qui sint vestri gladii, quæ hasta, qui acinaces, quæ acie, quæ cuspide, quæ firmitate, exploremus. Omnes è saccharo compactos reperiemus. Nihil hinc solidi chalybis riget; gravis, durique ferri ne hilum quidem stridet. Pugiunculi mellei sunt toti;

toti

toti non ex aspiris laminis, sed ex lenibus  
 annominationum libis coagmentati, papa- **G**  
 vere insuper argutiarum conspersi, totiq; pla-  
 nè ex piperatis fensiculorum acuminumque  
 massulis facti. Hos in orbem rotant au- **H**  
 dacter, hos circumducunt, his minantur, his  
 armati clamorem ingeminant, his animati  
 cruentam, & supra Herculeos labores effera-  
 tam faciunt impressionem. At quem tandem  
 illi feriunt? quem jugulant? Aerem quidem  
 strenuè diverberant, & pro flabello muscas **I**  
 commodissimè abigerent. Sed ubi in Audi-  
 toris animum adversæ opinionis lorica mu- **K**  
 nitum incurrunt, statim obtunduntur, cur-  
 vantur, dissiliunt, franguntur. Vellicant  
 nonnihil aures, non dissiteor: at si arrecta  
 istæ persistant, hebetantur; si ad iudicii truti-  
 nam exigantur, dissolvuntur. Audiui ego,  
 ac vidi non semel huiusmodi aucupes subti-  
 litatum hilari se se fronte, magnificeque cir-  
 cumspicientes, digitis, manu, oculis, super-  
 ciliis, verbis, atque sententiis tam graphicè,  
 tam scitè, venusteque ludere, ut venustius ni-  
 hil, nihil lepidius ab arguto circulatore **L**  
 expectari possit. Spectastis, ni fallor, ali-  
 quando cum risu, quum neque dum ex e-  
 phebis excessissetis, præstigiatores, nescio **M**  
 quos, in foro jucundissimis quibusdam jocis  
 oblectantes, detinentesque plebeculam. Ubi  
 pecuniarum corrasum est satis, ubi spectato-  
 rum crumenæ satis emunctæ, satis exinanitæ  
 sunt; sublatâ cortinâ, nugarum versipellis  
 architectus in proximum pegma, cadureo **N**  
 cento-

**O** centoneque ad imum usque obductum subit.  
 In fronte supra eleganter depicta scena in  
**P** hemicycli formam sinuata panditur. Mox  
**Q**intus audias totum mussitare choragium,  
 strepere, turbas ciere, dando ludose ador-  
**R**nare. Histriones, mimi, fanniones jam  
 in proscenium gestiunt prodire. Nec mora;  
**S**prosilunt subito hinc ex argilla ficta  
**T**imagunculae, illinc ex serutis factae, com-  
**V**pectaeque pupae; hinc venustula oscilla,  
**X**illinc argutula sigilla torno affabre elab-  
 orata. Haec quum sensu spirituque careant,  
 artificio, ac technis animantur. Cernas illa  
 corpuscula nunc sese librare in saltus, nunc  
 choreas ducere, nunc in factiones divisa  
 concurrere. Quid? larvata illa spectra, per-  
**Y**sonati que, ut ita dicam, lemures brachia  
 dexterè in orbem torquent, caput modicè  
 inclinant, argutiis digitorum per quam blandè  
 micant: voce ad aurium captandam volu-  
 ptatem utuntur acutissimam; sibilant potius,  
 quam loquuntur: officiosè aliquantisper, ac  
 familiariter inter se agunt; si spauant, sales  
 spargunt, si ridere conantur, hinniunt; si que-  
 runtur, gallinam glocire, aut gannire vulpem  
 putes; si minantur, mures acutum quid stri-  
 dere videntur. Interim tota concio in ca-  
 chinnos effusa, risu disrumpitur. Quid  
 plura? à facetiis transitur ad jurgia, à jurgis  
 ad manus, à manibus ad plagas. O præsti-  
 gias oculorum! ô illecebras! En commen-  
 titii homunculi subirati, pictos è vaginâ  
 nudant gladiolos, sicis, ensiculisque  
 munita-

minitabundi alii in alios invadunt; alii  
 librant hi in hostem ictus; illi supernè ex-  
 dunt; isti pectus fodiunt; illi latus subjecto  
 mucrone hauriunt, donec sicariorum unus ex  
 illis audacissimus palmari è fistulâ, quid  
 dico, palmari? vix digitali ex tubulo  
 repète displosâ papyri glande, primum quem-  
 cunque temerè obviam factum resupinat.  
 Audito bombo, omnes terga vertunt, pedes  
 in fugam avolant. Quis jam Cato tam rigi-  
 dus, quis caperatæ adeo frontis Fabricius,  
 tam festivo si intersit spectaculo, rugas non  
 remittat? Spectatum admissi, Auditores, ri-  
 sum teneatis? nescias planè difficilius sit  
 tenere, an terminare. Nam tota illa pugna,  
 totum illud prælium, illa vulnera, illæ cædes,  
 illa arma simulata & ficta sunt. Eorum vul-  
 nerum nullus editur dolor, sed plausus; illæ  
 strages non commiserationem excitant, sed  
 risum; bracteati illi pugiunculi non sangui-  
 nem, sed cachinnos eliciunt.

53. Facilè reor, Auditores, jam, quo tota  
 mea hæc pertineat oratio, providetis. Adum-  
 bratis illis non hominibus, sed hominum  
 simiolis acuminum istos Phrygiones quàm  
 simillimos dixerim. Ubi enim in suggesto,  
 tanquam in proscenio constiterunt, non se-  
 cus atque illi de trivio circulatores technas  
 omnes ad stipem, plausumque exprimendum  
 componunt; omnem isti artem ad proprij fa-  
 mam ingenii, ad sapientiæ opinionem colli-  
 gendam exercent; ut nemo sit tam hebes ac  
 stupidus, quin fucum ab illis fieri initio sta-  
 tisc

tim dicendi animadvertat. In Orationis  
 exordio quandam veluti scenam acuminum  
 floribus viridantem, argutiisque opere quasi  
**B** tessellato incrustatam expandunt. Sales  
 salibus condiunt, sententias sententiolis far-  
 ciunt, luminibus lumina obruunt. Ut ad  
 propositionem ventum est, profcenium fabri-  
 cantur, mox amcenissimas in narrationes ex-  
 currunt, rursumque per ornamentorum acie  
 spatiantur. Tandem ad firmamenta causæ,  
**C** tanquam ad fabulæ *epirasim*, *catastrophæ*que  
 descendunt. Hic enim verò de verborum  
 cultu mire solliciti, non qui animum fran-  
 gant, subigantque, sed quomodo aures titil-  
 lent, ac scalpant, argumentorum machæras  
 evaginant. Facile credas histriones ludi-  
 cram pugnam inire. Quæ enim istorum ar-  
 gumenta sunt, quæ arma? ô ludibria elo-  
 quentiæ! ô dedecora! Rursum quo filo ora-  
 tionis telam ordiri ceperunt, eodem pergunt  
**D** deinde pertexere. Vibratas sententias, non  
 ex causâ, ut ita loquar, armamentario erutas,  
 sed ex lascivientis ingenii areolâ decerptas  
 intorquent. Antithetis ludunt, argutiolis  
 blandiuntur, micant luminibus, dicituriis, &  
**E** scommatis juvenantur. Hæcine sunt arma?  
 hoc ferrum? hi gladii? metaphoris pictos  
**F** enses, allegoriis bracteata argumenta, anno-  
**G** minationibus illusas rationes centuriant,  
**H** hisque cataphracti armis cum Adversario,  
 præliantur. Fallor, non cum Adversario,  
 cui quàm minimè molesti esse cupiunt, di-  
 gladiantur; sed modò cum hortorum floribus,  
 quos

quos describunt, bellè colludunt; jam cum  
 lusciniâ suavi cantitant murmure; nunc ma- I  
 ris tempestatem intempètivè depingunt;  
 identidem veris delicias inaniter exponunt;  
 multarum subinde rerum levissimarum for-  
 mas subtilissimo orationis penicillo reddunt,  
 oculisque subjiciunt. Hæccine ergo sunt fir-  
 mamenta causæ, hæc ratiocinationes? vocem  
 in dicendo mollissimè inflectunt, nictant ocu- K  
 lis, manibus argutantur, totâ sibi corporis L  
 conformatione mirè assentantur. En prælium  
 infestissimum, en pugnam acerrimam. Ex  
 tantâ verò animi contentione, ex Marte tam  
 incitato, ex tantâ fulgurantis orationis im-  
 pressionem quantum sanguinis funditur? quæ  
 vulnera, quæ plagæ, quæ cædes cõsequuntur?  
 Metû ponite, Auditores: inanis facessat pavor.  
 Ludibria sunt ista oculorum, atque  
 aurium. At Auditoribus ne leviter quidem  
 vel summa cutis perstringitur; tantum abest,  
 ut sanguinis quicquam, vel una gutta eli-  
 ciatur. Rident effusè, rident universi, vel  
 mutuo in aurem garrunt, conferunt capita,  
 notant acuminum illam farraginem, toti quæ  
 sunt in Oratoris arguto, atque experrecto in-  
 genio commendando. Hoc porro commen-  
 titii plausus genere capti Auditores, nam  
 ejusdem Oratoris propositæ sententiæ (si quâ  
 tamen proposuit) assentiuntur? nihil minus.  
 Lusisse illum putant, ut verè lusit, de persua-  
 sione inculcandâ nunquam aut cogitasse, aut  
 somniasse, sibi, nec immeritò, persuadent; ac  
 proinde nihil etiam, tale ipsum à se præstolari  
 jure

jure optimo ratiocinantur. Nimirum hæc omnia istorum tam venustorum arma Oratorum commentitia sunt, argumenta evanida, Mrationes purpurisso obductæ, vi, nervis, robore destitutæ. Fulgura sunt cuncta ista, at ex vitro edita, ac veluti quædam ex papyro, nitrato facta pulvere involucra, quæ O magno quidem bombo ac strepitu crepant, sed innoxio ictu dissiliunt, nihilque præter auras, diverberant. Haud secus quoque argumentorum, nescio quæ, conceptacula Qacuminibus inculcata, & pressa, inflatis buccis, labrisque sibilantibus ab istis Declamatoribus disploduntur quidem, ac disfrumpuntur; ac crepitante sonitu aures dumtaxat commovent, stuporeque desigunt. Quando enim ii unquam in suis Orationibus argumenta ex causæ tracta visceribus librant? quando negotii partes distribuunt? quando controversiæ nexus perquirunt? quando causis effecta componunt? quando antecedentia indagant? quando consequentia perpendunt? An quisquam istorum è grege est, qui à genere, à forma, à repugnantibus rationes arcesat? quis in adversarium rectâ impetum facit? quis collato pede eum serit? quis in causam ita incumbit, ut in eâ semper hæreat, illam urgeat, densatis illam enthemematis muniat, illam circumductu inductionis obvallet, illâ exemplorû aggere claudat? Ubi ubi ammentatæ epicherematû hastæ, ubi bifida illa, S ac veluti squamatim commissa complexionû fulmina? ubi gravium figurarum arietes? ubi am-

amplificationum majora veluti tormenta, & catapulta? Frustra frustra horum aliquid, **T**  
 Auditores, à blandis istis deliciarum melitur- **V**  
 gis expectatis.

54. Hanc porro enervis eloquentiæ formam dum mecum, non sine indignatione dicam, an commiseratione? reputo, subit memoriam prudentissimum illud, ac sapientissimum Charidemi Atheniensis consilium, quod quia controversiam nostram per quam appositè exprimit, dirimitq; totum paulo accuratius explicandum est. \* Darius Persarum Rex, quum infinitam militum vim adversus magnam Alexandrum in immensum quendam coegisset exercitum, ejus universi aspectu admodum lætus, purpuratis solitâ vanitate spem ejus alentibus, atque instantibus, ex Charidemo belli peritissimo Duce, fatiscne tanto ad obtarendum hostem exercitu ei videretur instructus, gloriola nempe, atque assentationis captans illecebras, percontatur. Hic Charidemus enim verò liberam, veramq; vocem nō pressit. Vereor, inquit, ne vera monenti obstrepas. At nisi modò dixerò, neque aliàs unquam enuntiavero. Cernis has tanti apparatus copias? vides hanc tot gentium, ac totius Orientis suis excitam sedibus molem? Finitimis, hoc est, vnguentatis hominibus, sui nimirum simillimis, terrorem potest incutere. Splendet purpurâ, auro, argento, gemmis, infinitâ opulentiâ. Nunc contra Macedonum aciem contemplare. Aspera illa quidem

\* Ita narratur à Curtio lib. 3.

dem, ac torva est; dura, atque inculta; sed  
**A** clypeis, atque hastis immobiles cuneos, invi-  
 ctæque robora virorum tegit. Vir viro, armis  
 arma, scuta scutis conferta sunt. Ad nutum  
 imperatoris expediti ac prompti; sequi signa,  
 servare ordines ad unguem callent omnes.  
 Edicta ducis excipiunt alacriter, excurrere,  
 obistere, invadere, circumducere, in cornu  
 mutare pugnam, ex æquo milites, ac duces  
 norunt. Non illos auri, argenti que cupiditas  
 sollicitat, paupertate magna merent stipen-  
 dia; fatigatis humus pro cubili est; cibus,  
 quem occupant, satiat; tempora quietis som-  
 ni que arctiora sunt, quam noctis: & tu invi-  
 ctam illam bello, ac formidabilem gentem  
 fundis putas, atque hastis igne duratis repelli  
 posse? Falleris. Pari robore opus est. In illâ  
 terrâ, quæ hos genuit, auxilia quærenda sunt.  
 Argentum illud, atque aurum, quo tuus exer-  
 citus non munitur, sed hostium oculos invi-  
 tat ad prædam, ac conducendum militem  
 mittito. Ubi hæc Charidemus Dario consul-  
 tissimè exposuit, libertatem sapientissimi, ve-  
 rissimique consilii, per summam regis impo-  
 tentiam indignatione, furoreque abrepti, sui  
 capitis luit supplicio. Verùm haud ita multò  
 post ab Alexandro profligatus Darius, con-  
 temptæ veritatis, atque indignissimæ necis  
 pœnas longè maximas Charidemo haud falso  
 vati persolvit.

55. Video jam, Auditores, quid mihi peri-  
 culi, si liberè sensa animi aperire velim, ab  
**A** Adversariis immincat. Instaurium, opinor,  
 mihi

## RATIOCINATIONUM. 93

mihi, crucemque ominabuntur, vel linguam  
 certe molientur. At ego nihil istorum co-  
 natus moros, nihil technas, aut verba, ani-  
 mosè ac fortiter vocem commodabo veritati.  
 Rogo vos, Iudices, per vestram humanitatè, pal-  
 chellorù castra, atque aciem Oratorù cogita-  
 tione lustrate; argumentorum, quibus Ora-  
 tionem suam intruunt, agmina intuemini.  
 Sanè verborum nitent purpuram, radiant acu-  
 minum gemmis, sententiarum argenteis ru-  
 tilant laminis, omnia luxu intemperantis in-  
 genii luxuriant. Quo eleganti, floridoque  
 exercitu, minimè scilicet formidando, sed  
 formidoloso, hujusmodi Oratores ad quem-  
 cunq; hostè adversam obnitentem opinione de-  
 bellandù, se sat superq; instructos existimant.  
 Sed tantus deliciarum apparatus Auditorum  
 animos curioso quidem spectaculo detinere,  
 atque ad risum excitare potest, ad persuasio-  
 nem autem animi inducere omnino non po-  
 test. Contra verò Ciceronis, aliorumq; tantam  
 Imperatoris signa, ductumque sequentiù Ora-  
 torum phalangem argumentis stipatam spe-  
 ctate. In his nihil leve, nihil imbecillum:  
 rationum spicula verborum redundantia non  
 hebetantur, sed nervosè vibrantur: ornamenta  
 non ferri aciem obtundunt, sed acuunt: tota  
 acies orationis non ad voluptatis lenocinium,  
 sed ad gravitatis terrorem, quum opus est,  
 componitur. Non diffluit illa metaphorarum  
 luxu, sed ornata decenter multo robustior,  
 clypeis, atque hastis immobiles confirmatio-  
 nis cuneos, invictaq; robora amplificationum  
 armat.

armat.

armat, ac munit. Enthymemata enthymematis, rationibus rationes, argumenta argumentis conferta sunt. Omnia ad persuasionem librantur. Ciceroniani Oratores illi illi sunt, qui Adversarium hinc petunt, hinc ludunt, hinc refellunt, hinc captiosè excipientem illaqueant, hinc imprudentem irretiunt, hinc securum improvise transfodiunt, hinc in transitu fugitantem obtruncant. Principis questionis sequi signa, servare suæ ucturæ ordinem, excurrere in hostis vituperationem, obstrepenti repugnare, in orationis cursu mutare præliandi, arguendi, refellendique genus, ad unguem callent omnes. Non illi argenteo, aureoque acuminum colore, hoc est, orationis luxu sollicitantur, sed paupertate, hoc est, ornamentorum moderatione, ac rationum copiâ magna trophæa, illustresque victorias consequuntur. Cernite enim, cernite illa argumenta, illa illa arma, quæ non nitent purpurâ, sed ferri lavore; non minio, sed Adversarij sanguine colorantur; non croco, sed hostis prostrati rubore, pudoreque obducuntur. Hæc est gravis armaturæ impressio illa vehementissima; hic majorum machinarum impetus ille fulmineus; hæc grandiora tormenta

**C** igneo persuasionis malleolo quodcumque ob-

**D** turati animi conflatum ex chalybe pectorale

**E** diloricantia. hæc illa sunt, quæ quæcumque

**F** ferream opinionis galeam dissiulant; hæc,

**G** quæ præfractæ mentis quemcumque thoracem

**H** desquamant. Hæc altè in viscera figunt tela; hæc adversa omnia machinamenta dissiiciunt,

turres

turres evertunt, cuniculos eludunt, fossas im-  
 plent; per vulnera, per eadem, per sangui-  
 nem ad arcem animi, victoriamque expu-  
 gnatae voluntatis grassantur. At nihil  
 profus istorum in scitulis, atque imbelli-  
 bus Oratoribus reperias. Omnia argu-  
 mentorum arma mollia, omnia fracta sunt;  
 omnia enthymematum tela metaphorarum  
 obtusa auro, ad ludicrum facta spectaculum,  
 ad hilaritatem evocandam composita; non  
 ad veritatis pugnam, non ad persuasionis  
 vulnera inferenda torquentur. Vos enim  
 ipsos, vos ego jam appello, blandissimi De-  
 clamatores, si quando vobis cum Tullianis  
 Oratoribus sit congregiendum, vosne invi-  
 ctam illam, formidabilemque rostris, ac foro  
 gentem saccharo tectis acuminum scrupis **K**  
 mellitisque argutiarum globulis sustineri, vel  
 etiam rejici, vinctique posse arbitramini? Er-  
 ratis, inquam, non minus opinione, quam  
 oratione. Pari robore opus est. In illa terra,  
 quae illos genuit, auxilia quaerenda sunt; in  
 ipsa nempe eloquentiae regione, ac patria,  
 hoc est, in regia Ciceronis Rhetorica; quae  
 tot tantosque viros peperit, consimiles Ora-  
 tionum machinae sunt fabricandae; illinc  
 petendae; illinc advocandae. Expecto jam,  
 quia Adversarios meos liberè, ac verè impro-  
 vidi consilij admonui, ut impatientiam, iraque  
 excandescentes, simile quid in me, quod in  
 Charidemum Darius impotenter exercuit,  
 tacite coquant; mihi que linguam, si non ca-  
 put, aut si non linguam, saltem linguae vo-  
 cent,

Lcem, manūque calamum præcidi discupiant. Sed dabunt mihi paulò post ingratiſſimæ vicis, perfidæque obſtinationis poenas, dabunt magnas, dabunt atroces, dabunt inexpiabiles, quum nempe depulſo tandem fūco, ſapientum viroꝝ confoſſi ſtylis, ſuffragiis prudentum damnati, populorum plauſu deſtituti, omnium, quibus ulla mica iudicii ſuperſit, probris cooperti, ex omnibus ſuggelliſ, ac Templis exterminabuntur.

*Argumenta, licet robuſtiſſima, ornamento-  
rum tamen intemperantiã delam-  
bantur.*

56. **S**ed nimis feverè, ut video, cum delicatis hiſce Oratoribus ago, ad viuum nimis omnia reſeco; nimis libratã trutinã ſingula expendo. Ergo jam ſibi ignoſci volunt? ignoſcamus. inducias humanitatis poſcunt? concedamus. Validas ab illis, atque ad probandum accommodatas argumētationes, quas tamen nunquam, ut hætenus diſputando pateſeci, producunt, uſurpari grati indulgeamus. Verum ubi validas eas rationes tractare cõperint, atque in ordinem diſtribuere, iudicii infantiam videte, videte ingeniĩ imbecillitatem. Eſtĩ firmamenta cauſæ præ manibus habeant exploratiſſima, facetiarum ſalibus elimatæque remiſſione dictionis omnino delumbant: Quæro enim, quid argumentorum vim vehementiũs infringit, quid

quid minutius elidit, quàm à proposito argu-  
 mento tam frequens aberratio, ac discrepan-  
 tium rerum temerè adco agglutinata dissen-  
 sio? Propius has jam præstigias inspiciamus.  
 Sit Divi Caroli Mediolanensis Antistitis, &  
 Cardinalis Eminentissimi summa in persol-  
 vendis Deo precibus, etiam quum displos à  
 improvisò plumbeà glande à ficario illo Re-  
 ligiosæ disciplinæ perduelli peteretur, securo  
 vultu, & tranquilla mente, retenta constan-  
 tia celebranda. Quæ autem de hoc exemplo  
 deinceps tradidero, eadem quoque de aliis  
 omnium Orationum, Concionumve argu-  
 mentis moneo accommodatè accipienda,  
 atque interpretanda. Facinus hoc sanctissimæ  
 Præfulis egregium ac præstantissimum in  
 immensum exaggerari potest. Argumenta  
 à causis, ab effectis; ab antecedentibus, à  
 consequentibus, ab adjunctis sexcenta advo-  
 cari possunt. Virge igitur alacriter cœpta,  
 quæ libellâ cœpisti tantæ constantiæ ampli-  
 ficandæ fundamenta subternere, perge no-  
 vorum parietes argumentorum inædificare.  
 Cave ab rectâ tentaque amussi discedas. in-  
 siste, attolle, ad tectum usque, ac fastigium  
 Orationem perducito. At isti acuminum  
 Architecti sine lineâ, sine perpendiculo, sine  
 normâ, sine dioptrâ, persuasionis Orationem  
 fabricando, semper delirant, in mille angu-  
 los argumentorum descedunt parietes; in  
 latebras, in diverticula, in trivïa, in compita,  
 in alienissimas à Caroli in precibus constan-  
 tiâ regiones amplificationis porrigunt ædifi-  
 cium.

cium. Errantes eorum gressus, vagosque discursus, quaso, animadvertite. Egregias enim verò amplificandi rationem, quã acuti isti Oratores utantur, diligenter observate. In hanc formam iidem factum illud in majus extollunt.

57. Traculenta illa Carnificis manus ( quantum ausa nefas! ) manus in solis Prasuli integerrimo, cuius manus omnium inopia, ac solatio serviebant. Effertus latro plumbeam pilam, non pili faciendã, sed ingentis pili instar in Caroli pectus excessit; at illico constãtia grandioris pilo reclusa, mox perasa scelus, in vastu sinum sese abdens, suam tegere conata est temeritatem; dumq; eam tangere non audet, in cotem explorata abis fortitudinis.

ò lepores! ò gratias! quid deinde subjiçit? Inunc, exclamant, & plando. Tonitro strepitu atrium, nec tamen haste Prasul astonitus, sonitum non metuit, quia pro hominum salute apud Deum perorabat; ignem non timuit, quia spiritus ignescebat; globum non expavit, quia precum sagittas in caelum jaculabatur.

O delicias eloquentiã! ò veneres! quid præterea comminiscuntur?

Plumbum illud tunc sanè plumbeum non fuit, quoniam tam sollicitè viri sanctitatem agnoverit; natura non parvit ut miraculum pareret; & quia magnitudo prodigii cum flagitii immanitate pugnaret, à purpura criminis ruborem discit, quo vitæ ejus in lacris penitentiam. Qua monstra vidi! globus ille impio unã fuit, & pium. Impius, dum parricidio innocentiã delinabatur.

pium.

pius, dum nocens parricida detrectavit impe-  
 rium. Stetit conscientia piaculi timidus, non  
 tunc plumbi pondere, quam officij crudelissimi  
 onere retardatus. ingemit, non tam pulveris  
 bombo, quam inauditi facinoris atrocitate. Sci-  
 licet noluit glans illa cum vulnerare, qui totum  
 se Deo voluntariis cruentabat vulneribus. San-  
 guinem non elicit, quia purpuratus Artistes,  
 vel purpurâ exutus, expresso flagris sanguine, co-  
 tidis purpurabat. ô globum ipsa innocentia feri-  
 endi pretiosum! Dicerem te gemmam atque unio-  
 nem, nisi vita gemmam Carolo eripere voluisses;  
 sed quia frustratus es iustum, non frustabor te  
 laude tua. Cedant tibi lapilli omnes pretiosi, ce-  
 dant Indici, Persicique maris ropatij, atque ame-  
 thysti, cedant Cyri & Cræsi infinita opes, atque  
 inexhausta divitiae. Non ita micat smaragdus,  
 non adeo radiat pyropus, non tam scintillas ada-  
 mas, non tam Oceani litora margaritis confersa  
 rutilant; quam tua ista gloria quod insanti pe-  
 perceris, vel ipso ex fumo perennis fulgurat  
 immortalis.

Estne aliquid amplius? pergite pergite lepi-  
 ditima capita dolum illud acuminum tan-  
 quam Belidum sine fine modoque exonerare. A  
 Restant, inquit, jucundiora, atque graviora.  
 Quenam? Aures, quæ so hic arriamus. Tum  
 illi:

Mystrum agnoscite, & obstupescite. His-  
 mani vulnus odii in divini plagis amoris scilicet  
 non perit hospitari. Quid enim erat pectus Ca-  
 roli, nisi divini fons amoris, ita exundans, ut pan-  
 peres non tantum aurea caritate largiendo dista-  
 ret, sed etiam plumbam glandem in auream,

„ dum ferienti, tanto amore parcat, commutat a se  
 „ Non potuisti tamen officere, ô Carole, quia tua  
 „ caritatis purpura in alioni sceleris argumentum,  
 „ ac probam erubescendum verteretur.

Quid amœnius, quid venustius? & nondum  
 errabundi furor ingenii per inexplicabiles  
 B anfractus, aviosque saltus longè lateque satis  
 peregrinatus est? Accipite reliquas styli deli-  
 rantis aberrationes. Subdunt illi continuo.

„ Nāhem quidem nitraus pulvis, ut turpitudi-  
 „ nem involveret sceleris, excitavit; sed emittentes  
 „ scintilla micantem stellam in noctis vestibulo,  
 „ non Cœli, sed constantia tua, Prasulum Sol, pate-  
 „ fecerunt; et cœtanæ quoque flamma voluctantem à  
 „ tubā precationis fortitudinem illustrarunt. Ve-  
 „ ritatem enim verò immaris non minus latrones sa-  
 „ vitiam idem ille fulgor bono in lumine collocavit.

C Ex tuā anim, ex tuā non tam pyxide, quàm fa-  
 D rinā, Farina sicariorum omnium flagitiosissimi,  
 „ pulvis ille sulphureus effluxit. Tollis vitam,  
 „ per quam Civitatis pars magna vivebat, pilā ex-  
 „ pilare, ut castigata disciplinam vita evocares,  
 „ conatus es. Oderas disciplinam, quia de discipulo  
 E sicarius, de Monacho monomachus evasisti. Si-  
 „ cam, Et fistulam tam sollerter tractabas, quia  
 „ pietatem ex animo penitus jam dudum explode-  
 „ ras: explosisti pietatem, quia pietatis propagato-  
 „ rem vivum pati non poteras.

„ 58. Hic Auditores, quis cachinnos teneat,  
 aut temperet? Ridete sanè omnes effusè,  
 nihil veto; manus complodite, exhibilate;  
 aptè, ac jure optimo. nihil impedio. ô plum-  
 beos Oratores! ô pila non plumbea, sed lu-  
 dicra,

dicra, lanaq; leviores? jã vestrum, quæso, judi-  
 ciũ, Patres sapientissimi, interponite. Hæccine  
 est amplificandi forma, hoc exaggerandi  
 artificium? ò amplificationis norma, vis, ac  
 nomen hisce corruptoribus eloquentiæ nun-  
 quam perspecta! quis enim, quis in hac non  
 amplificandi, sed potius temere coacervandi  
 ratione distortam argumentorum seriem, ac  
 perpetuam à proposito declinationem non  
 animadvertat? Inanis crepitantium verbo-  
 rum sonus ab Antistitis sacri augenda con-  
 stantia tam alienus, facile fanè vel exonerate  
 glandis strepitum superavit; adeoque perversi A  
 amplificandi, laudandique ratio vel Caroli  
 ipsius aures, cujus pellem non potuit pila  
 plumbea trajicere, tantorum stylis acuminum  
 vulnerasset; certè quidem ejusdem laudes in-  
 tolerabili carnificinã concidisset, invictamq;  
 illam tot ærumnis patientiam incredibili  
 molestiã ita fatigasset, ut, si, quando plum-  
 beã pulsatus est glande, immotus stetit, ac B  
 tacuit; tam præpostera amplificationis globo  
 percussus; nisi sui præconia egregiè semper  
 contempsisset, utique fuerit exclamaturus,  
 caput sibi importunissimè obtundi, ac dif-  
 findi.

59. Quid porrò tanta vis acuminum, atque A  
 farrago, licet nescio quam sensiculorũ ossã, B  
 massulamque conflet, ad rem obsecro, quid  
 attinet? Quid Caroli constantiæ extollendæ  
 conducit? Quorsum hæc ludicra, & futilia  
 nugamenta tam spissè inferuntur? Non eo  
 equidem inficias, locum picturatis id genus

emblematis in Oratione nonnunquam esse:  
 sint planè istorum aliqua, quæ antea acerva-  
 tim stipavi, præclara, sint arguta. Sed ea  
 omnia quæ tandem cum inexpugnabili divini  
 Præfulis in precibus animo celebrando cohe-  
 rēt? Illa illa omniatâ dissona, tã abjuncta, tã à  
 propositâ laudationis metâ peregrinantis  
 quomodo cum eâdem constantiâ cōfentiunt?  
 Hoc enim est, quod in præsentia dumtaxat  
 carpo, hoc, quod exagito, ac vituperor.  
 Quid pili, & pilæ; quid cutis, & cotis affinis  
 sibilus cum Caroli fortitudine habet negotiū?  
 quorsum, ut hanc exornes, à pilâ ad purpuram  
 ut gradus; à purpurâ ad gemitum pilæ recur-  
 ritur? cur à glande transitur ad gemmas, à  
 gemmis ad nubem pulveris descenditur; à pul-  
 vere in farinam tam pueriliter deliratur? Ca-  
 roli constantiam receperas te positurum ob-  
 oculos. Argumentum præsto erat validissim-  
 um, quod à sacra præcatione ne exoneratis  
**C** quidem è tubulo globis avocari potuerit.  
 Hoc igitur preme, hoc urge, hoc infigito  
 altius, hoc intorqueto robustius. Sed notatè  
 istorum artificium; scilicet artificium; styli  
 potius, mentisque vertiginem. Vix factum  
 illud Caroli diuinas preces, frustra manua-  
 ri tormenti impetu obstrepente, pacatè, in-  
 censeq; perorantis leviter delibarunt, quum  
 subito in aëria omnia abeunt, excidunt, ab-  
 ripiuntur, per acuminatâ saltus, per argu-  
 tiarum flexus, per angustissimos fensiculorum  
 calles incertis semper, erraticisque vestigiis  
 digrediuntur. Statim initio dicendi manus  
 à tria-

à truculentâ carnificis manu Praefuli, ejus  
 manus omnium inopia serviebat, illatas  
 commemorant. Quid hic lusus manuum ad  
 constantiæ incrementum pertinet? Quod  
 manus Caroli omnium serviret inopia, ut  
 misericordiæ opus egregium sit, qui ejusdem  
 servit constantiæ amplificandæ? Pergunt  
 deinde, subduntque, plumbeam pilam non  
 pili faciendam, sed pili instar in Caroli pe-  
 ctus excussam, mox icelus pertasam, in vestis  
 sinum sese, ut suam tegeter temeritatem,  
 abdidisse. Ego verò totum hunc ambitum,  
 pilæque lulum ad Caroli decorandam con-  
 stantiam pili omnino faciendum contendo.  
 Quid enim levius, aut scurrilius dici poterat?  
 Videtis præterea, ut plumbum minimè plum-  
 beum testentur; ut plumbi sollertiam, duræ  
 naturæ non parvit, ut miraculum pareret;  
 dum à purpurâ ruborem criminis didicit;  
 ejusque in latebris quasivit poenitentiam, sus-  
 spiciant? Sed quorsum hæc ad Caroli admi-  
 rabilem constantiam? Videtis, ut globum  
 illum impium, simulq; piûm, & conscientia  
 piaculi timidum; nec tam plumbi pondere,  
 quàm officii crudelissimæ onere retardatum;  
 nec tam pulveris bombo, quàm inauditi fa-  
 cinoris atrocitate ingemiscentem mentian-  
 tur? At hæc omnia quorsum ad Caroli con-  
 stantiam? Videtis, ut sanguinem ipso ab  
 Antistite eâ glânde verberato, quod vel pur-  
 purâ exutus, expresso flagris sanguine coti-  
 die purpuraret, emissum comminiscantur?  
 Videtis, ut pilam ipsâ innocentia feriendâ

Pretiosam in gemmam atque unionem, nisi vitæ gemmam Carolo eripere voluisset, migrasse fabulentur? Ad hæc omnia quorsum, ad Caroli constantiam? Sed piget me reliquam ingenii non amplificantis, sed perpetuo fluctuantis agitationem oratione etiam meâ amplius, atque adhuc magis exagitare. Satis ex his, quæ paulò ante produxi, frequentes hosce, vagosq; discursus animadvertere potuistis. Ergo velint, nolint, fateantur, necesse est, etiamsi argumenta tractant summissima, acuminum hac tantâ effusione, tamque multiplici à re propositâ evagatione eorum vim roburque frangi, atque enervari. Hoc enim alterum telum est, Auditores, quod diu jam, si meministis, in Adversarios cepti intorquere. Satisne igitur jam eloquentiæ Tullianæ desertores, quo in errore versemini, tandem aliquando intelligitis? Satisne instabilem mentis vestræ æstum percipitis? Sed agite: ut hunc ipsû æstum quoque velut in opposito speculo clariùs adhuc intueamini, nunc, quibus ex fontibus ea Divi Caroli constantia non minùs verè, quàm Oratoriè, augeri possit, seriò exploremus.

*Eadem D. Caroli in precibus retenta constantia, improvise ictui immobilis, quo pacto ad Tullianam normam amplificetur, indicatis fontibus, ostenditur.*

60 **A**mplificationem unguentatorum Oratorum modò, amplissimi Patres, audistis.

audistis. Nunc contra, quid ratio amplifi-  
candi Tulliana, hoc est, regia, atque palmaris  
possit, attendite. Caroli erat amplificanda  
constantia; quidni igitur sicarii illius, qui  
tantum ausus est facinus, immanitatem,  
trucem aspectum, atratum pullumque habitum,  
odium, ac rabiem delinearunt? Hæc scilicet  
omnia ad incutiendum terrorem aptè qua-  
drant, ac proinde ad constantia incrementa  
cumulanda sunt peropportuna. Cur horri-  
cus ille, atque improvisus strepitus, quo vel  
fixi nutant parietes, marmoreque etiam fratum <sup>A</sup>  
solum labat, ac tremat, non est tonante pari- <sup>B</sup>  
ter oratione renovatus? Cur cætera turbæ  
ingens pavor & consternatio prætermissa?  
cur omnium tumultus, aliorum fugitantium,  
aliorum ejulantium, aliorum indignantium,  
horum vindictam meditantium, illorum  
vulnera, cædemque inelamantium silentio  
involutus? Cur Caroli solus in communi  
omnium trepidatione vultus imperterritus,  
quem unum nefarius ille latro petebat; cui  
soli periculum imminebat; qui unus ictum impe-  
tūque perfererat; qui se unum ad necem destinari;  
se solum quæri videbat; qui unus repetita  
glande se trucidandum merito poterat formi-  
dare, cur, inquam, in tam ingenti reliquorum  
pavore immobilis Caroli virtus, tota a tero  
hærens Numini, non solum minimè pertur-  
bata; sed cæterorum etiam subitam perturba-  
tionem hilari fronte, tum verbis fortissimis  
componens, atque ad divinam preceationem se-  
date peragendam per quam animosè adhor-

tans, dissimulata est? Hac quanti erant ponderis in trutinâ amplificationis ad tantâ Cœlitis constantiam luculenter testandam Pergamus. Antecedentia perscrutemur. Novat norat sanctissimus ille Præsol quos improborum invidia, atque odio, quorum carpebas, & coercebat scelera, laboraret: Novat, quos Dynastarum offensionibus pro Dei gloria sese generosissime objecisset: Novat quos perditorum insidiis sua mansuetudo, lenitas, atq; innocentia esset obnoxia: novat quos flagitiosarum injuriarum, ira, insaniam ac furori sua vita esset opportuna. Et tamen has res pavoris argumēta, quæ ad unguem habebas perspecta, mentes q; facile observabantur, nihil illi trepidationis intulerūt; non expalluit, nō loco se movit, ceteros se cōmoverent, stetit, ac tenuit. O constantia inauditam magnitudinem! o insolita fortitudinis admirandam præstantiam! Cōsequētia ponderemus. An non versabat animo Carolus, non dico, quid sua familia generisq; quid patris fortunis, quid hujus lucis usura tantæ cara periculi & calamitatum immineret (has enim omnia jam diu alta calcarat animo, ac penitus abdicarat) sed quid Mediolanensi Diocesi, quæ vita ipsa habebat cariorē, quid Mediolanensium quid univērsa Reip. Christiana, cujus gratia tam diu laboraverat, tam multa cotidie moliebatur, tam varia semper ad illam Cœlo inferendâ exrogitabat; an non inquam attentè providebat, quid toti Orbi stragis, si ipse tam importunis temporibus esset sublatus, quid exitii, quid vastitatis esset inferendum? Hac omnia erant Caroli in oculis, sed longè firmitate animi inductione hæc imparvidis. Si contraria conferamus;

quid ceteri, non dico, infima sortis homines, sed  
 viri aliqui etiam fortissimi, Duces, Principes,  
 Reges, Imperatores, Antistites in subitis huius-  
 modi casibus facere consueverint, quam nostrum  
 fugit? qua illico consternatio? quem stupentis  
 horror silentii? quis artuum omnium tremor? timor,  
 trepidatio, fuga omnia occupat. Tu solus,  
 Carole invictissime, tu solus constantia vexillum  
 indefessum salutis periculo, reliquis trepidantibus,  
 exististi: tu magnanimitatis exemplo omnibus  
 praetulisti. Quid si deinde ad hanc ipsam  
 constantiam augendam jam à maioribus,  
 modò à paribus, nunc à minoribus enthymemata  
 depromamus? Quid si exempla fortitudinis  
 omnis generis, ab Alexandro Macedone, à L. Scipione,  
 à C. Caesare, à profanis, sacratisque viris arcessantur?  
 Quid si cum eximia Caroli constantia comparata  
 deprimantur, vel sexcentis inferiora partibus ostendantur?  
 Quantum quantum accessionis, Deus immortalis,  
 Caroli constantiae adjungetur? nonne ad columnas,  
 ut ita loquar, Herculeas constantiae, ut ultra  
 progredi non posse videatur, penetrasse censebitur?  
 Age verò, si Carolum jam non amplius cum aliis,  
 sed secum ipsum committamus; si hoc constantiae  
 genus cum reliquis tum aliis ejusdem virtutibus,  
 tum aliis constantiae argumentis conferamus;  
 quanto adhuc magis magisque haec ipsa  
 constantia amplificabitur? Experiamur. Porro  
 Carolus reliquos omnes in hoc constantia praesidio  
 à tergo rejecerit. At alius sese illi Princeps  
 Duxq; fortissimus, virtute non minus, quam

quàm ipsi, præstans, ac strenuus expugnansque  
difficilis, cum quo dimicaret, opposuit. Quis iste  
alius sit, sciscitamine? Idemmet lectissimus Pon-  
tiffex. Carolus Carolus ipse cum Carolo prælia-  
batur acerrimè, secum collato pede in acie virtus-  
tum decertabat, natura insitas appetitiones in-  
jecto moderationis frano coercerat, animi cupi-  
ditates constantia vincitæ cæcæ rationis subi-  
gebat imperio. Ceteri Imperatores magnâ ex par-  
te, debellato Orbe terrarum, sibi met demum  
ignarè succubuerunt: quicquid spatia regionum  
viam lata, atque longinqua victores calcârunt,  
unum hominem adeo sibi proximum atque inimicū  
in potestatem mentis redigere nequiverunt; non  
vitiatorum in se monstra perdomare, non rebelles  
animi motus comprimere, non ebullientiū æstua-  
ria cupiditatum tranquillare potuerunt; aliorū  
gloriosi victores sui probrosa mancipia, rot com-  
pedibus ligata, quot vitiis, jugum durissimæ ser-  
vitutis succollante ambitione, atque inopentiâ  
rulerunt. At Carolus ille fuit sui expugnator,  
fortissimus; ille sibi nobilis materia bellandi, &  
seges latissima victoriarum; ille sui, nescius, feli-  
ciorne prædator, an præda. O novum constantiæ  
genus! O fortitudinis palæstram & coronam  
amplissimam!

61. Verùm quia Carolus vitia, quæ profliga-  
ret in se non reperiebat, quid ingenio dignum suo  
excogitavit? Ipsis bellum virtutibus bellissimè  
intulit; virtutes aggressus est, virtutes subegit.  
Quid enim? Gradus ille in quavis virtute  
plurimos cernebat, dumque cuiuslibet virtutis  
gradum minorem virili premens vestigio, ad  
superio-

superiorem, altioremq; cotidi. mirā constantiā se-  
 se offerbat, quid nisi virtutē virtute, idem sem-  
 per victus, & victor expugnabat, atq; vincebat?  
 Virtutem sanē virtute vincebat, atq; ita vincen-  
 do, virtutis perennes strenas, meritaq; stipendia, A  
 hoc est, virtutis majora incrementa accipiebat,  
 victorias victoriis foverabat, trophaa trophais  
 oppignerabat, virtutes victas virtutibus in  
 splendidiſſimum sui triumphum ad immortalē  
 a nſtancia laudem circumferebat.

62. Neq; verò constantiam cum una dumta-  
 xat virtute certandi. Carolus locupletarui; sed  
 agminatim integrā etiā virtutū aciem fecit iſe  
 cogebat, centuriabat, in exercitationis archam  
 continenter educēbat. Hinc in illo candecantia  
 lilia caſtitatis, illinc coccineas roſas caritatis;  
 hinc ceruleas temperantia violas, illinc pulla pœ- A  
 nitentia vaccinea, inde vernantes patientia hea-  
 cynthos turmatim incedentes vidiffes. Sed enim B  
 illuſtre plaxē constantia genus in compeſcendis,  
 moderandiſq; voluntariis appetitionibus, in cu-  
 mulandis animi dotibus atq; virtutibus reſtatui  
 ſit Carolus at nunquam certē in reliqua vita,  
 nūquam minime memorabile adeo inaudita for-  
 titudinis prodigium edidit, nunquam tam nove  
 constantia miraculo cetera omnia conſtancia mo-  
 numenta, altarumq; ornamenta virtutū in memo-  
 nuit, atq; obſcuravit; quā quum ſupplex ad  
 Dei aram, atq; in preces effuſas, igneo impetuius  
 globo, impavidus nihil minus precationem pe- C  
 git. Quod ne fruſtra viri ſanctiſſimi gratia in-  
 dulgere videar; ſi ſemet jam Carolo Carolus ex  
 adverſo, ſi placet, ſtatuetur. Cœdicarunt in eo  
 lilia caſtitatis, quum perditas mulierculas ad

110 P. I. DE LEGITIMA NORMA

remerandam pudicitiam immissas indignabimur  
 ducè cubiculo exturbavit. At longè major con-  
 stantia stransias est, mortis presentissima telum  
 contempssisse, quàm curpes Venaris illecebras re-  
 pudiasse. Purpurarunt in eo rosa caritatis, quum  
 vendito Vrisano principatu, quadraginta num-  
 mum aureorum millia, integrum scilicet illius  
 pretium, uno die in pauperes erogavit. Sed libe-  
 ralitas longè regalis est, vitam constanter pro-  
 fundere, quàm aurum. Alebat ille pœnitentiâ

**D** Vacciniâ, quum horrenti colico corpuseulum fo-  
 dicabat, quum ochinâis globula, ferreâq; flagris  
 tergo dilacerabat. At quanto generosior con-  
 stantia est, uno illu præcordia ipsa transfodienda  
 præbere, quàm excimam cutem onerare verberibus?  
 Firmabant in eo patientia hiacynthi, quum  
 grassante lue sexcentas egoratas exorbebat mo-  
 lestias, quum tot vitæ spernebat discrimina, quib;  
 suis ipse manibus jam tæbe confectos riss sacro-  
 sandis nunciabat mysteriis. At quanto omni pe-  
 ste excussus rubo globus nocentior est? quanto ef-  
 ficilior constantia provincia, sustinere impetum  
 globi, quàm periculum pestis? Plorarent in eo  
 violatæ temperantia, quum tam frequentibus sese  
 macerabat jejuniis, quum palatum tam severè  
 fraudabat, quum deliciis sibi omnibus tam in-  
 clementer insordicebat. At quanto insignior con-  
 stantia prærogativa est, uno temporis puncto, non  
 solum delicias, verùm etiam ipsamet vitæ nuntium  
 emississe postremum? Ita tamen Carolus ceteris  
 hiis ceterisq; virtutibus singulari constantia pug-  
 nabat, Auditoris, ut singulas aliarum opposi-  
 tione nuntio acueret, ac duplicaret. Unquamq;  
 in illo de principatu curabat, sed omnes ad sem-

piternam constantia palmam ei de seipso porre-  
gendam admirabiliter consensiebant. Verum si  
unquam unam, aut alteram virtutem exercuit,  
aut si plures, quidem excoluit aliquando, non ta-  
men eas simul omnes, eodemq; tempore, sed modò  
unam, modò aliam, quasi separatim frequenter  
vitae: ac in hoc perseverando pluribus glandis verba-  
re universam penè agmen virtutum unà, eodèq;  
tempore cum incredibili constantia prodigialiter  
coegit. An enim precandi studium requiritur?  
tunc suavissima cum Deo miscebat colloquia,  
Caritatem erga Deum desideratis? tunc divini  
amoris incendiis perirebatur. Patientiam expo-  
sitis? gravissimè percussus, promptior fuit ad ve-  
niam, quàm ad querelam. Liberalitas in proxi-  
mos admirationi est? Tunc ab aeterno Numine  
immanes divina misericordia thesauros suo gre-  
gi bonae Pastor implorabat. In tantis igitur vir-  
tutum nobilissimis praeliis coronis illa constantia  
suprema fuit, Carolus triumphasse de Carolo, et  
ultra fortitudinis Colophon, cotidianas sui vi-  
dorias clarioribus semper respullulasse victoriis.

63. Ad haec deinde, si Caroli corpus jejuniis  
fractum, vigiliis debilitatum, dirà verberum  
carnificinà laniatum contemplerur, inde  
omnem constantiae laudem, quanto cum  
incremento uni soli q; ejus animo tribuemus?  
An ultra aliquid constantiae restat? est adhuc ali-  
quid aliud admirabile? Neq; animi hac erat re-  
morosa quadam auidacia, non insana quadam  
suarum virium fiducia: sed totum totum illam  
animi imperterriti firmitatem à Dei operum  
maximi praesentissimo patrocinio, sine quo nulla  
possit

potest esse vera forma constantia, & quo solo stabile, inrepidumque animi robur nisi potest, derivabat. Addite fortissimi Herois tantam fuisse cum Deo conjunctionem, tantum in precibus praesto habuisse praesidium, ut iis quasi loricae eius quacunq; spicula facile posset repellere. Adjicite vos insuper populi admirationes, plausus, ac famam. Adjicite principum virorum innumeras, laudissimasq; gratulationes. Adjicite postremo Caroli corpus, frustrato divinitus ictu, intactum, illa sum, servatumq; ad incomparabilem scilicet integerrimi Cardinalis constantiam testandam, caelesti miraculo fuisse nobilitatum. Quid enim portentosius, quam candidum, molleq; linteam quovis ferro, & chalybe acrius quamvis lorica & thorace munitius obstetisse?

64. Hac ego, consimiliq; amplificandi ratione, amplissimi Patres, acutis illis Oratoribus, quo pacto Divi Caroli constantia vere, ac splendide augeri dicendo posset, intento velut digito, comonstrandum putarem. Quippe haec, quae velle viter, ceu in transitu libavi dumtaxat, solida illa sunt argumenta, haec gravia illa enthymemata, contortaque ratiocinationes, non concisa, non interrupta, non enervata; sed perpetuo ductu colligata, continentiq; trama contexta, omnes cum Caroli fortitudine, atque constantia sociata, quae eandem mirifice extollunt, Auditoribusque facili negotio persuadent.

65. Libuit, viri sapientissimi, utramq; amplificationis speciem, primam ad genus Adversariorum, alteram ad Tullianas leges

exactam, stylo vobis representare, quò vos ipsi tanquam inspectores illas è regione sibi veluti aduersas statuatis, mutuoq; diligenter conferatis. Jam si à subtilibus istis Declamatoribus, quid de suâ hac amplificationis normâ sentiant, quæramus; non ambigo, quin illam in ærario deliciarum ceum multâ operæ oleique & suo genio mirè arridentem sint habituri, & verò etiam suaviter osculaturi: neque dubito, si ego hanc mentem induere vellem, ut hoc styli genere mihi utendum, istisve acuminum papaveribus insarciendas deinceps Orationes censerem, quin facile me secum in gratiam redire paterentur. Quid dico, redire? fortè mihi etiam nonnullum in hac sensiculorum venditione plausum indulgerent. Certè quidem ex hac artis, styli, structuræq; depravatione impenso à me studio compositâ fructum hunc non exiguum mihi videor percepisse, Auditores, quòd mihi illi exprobrare potrò jure non poterunt, istam acuminum intemperantiam eò scilicet à me tam acerbè exagitari, quòd istorum nihil comminisci queam, multo minùs verò cuspidare norim, aut lævigare. Agnoscent enim, A opiaor, me, si velim nugas hujusmodi cedere, mihiq; etiam adlubescat hoc ineptissimo dicendi genere ineptire, non fore penitùs ineptum.

66. Verùm quid Adversarii mei, ut se se aduersus vestrum iudicium muniant, fabulentur, sus deque habeo, Auditores. At vos viri prudentissimi, si utriusq; amplificationis  
vim,

vim, atque præstantiam quàm manifestò nôde percupitis, fingite, quæso, aliquem nostræ Religionis nuper aggregatum, qui nihil unquam sancto legendove de Carolo antea acceperit, hodie primum huic à me de ejusdem Herois eo in discrimine constantiâ ad istorū ingenium elaboratæ exornationi aures dedisse. Quàm is christiani nominis candidatus, eo de viro hætenus sibi semper ignoto opinionem animo informabit? quid de illius virtute pronuntiabit? quâ admiratione defixus hærebit? quâ se in eum propensione rapi experietur? quos imitationis igniculos ad illius præclarè gesta experimenda in se excitari sentiet? ô pruinam! ô nivem! ô glaciem! Mentiar, nisi ejusmodi Oratio tam distorta, tamq; frigida, incensa jam pietatis studia vel in ipsis Caroli clientibus, ejusdem nominis virtutiq; jam pridem addictis, ne dum in extraneis, si non universa restingueret, maximam sanè partem remitteret.

67. Jam verò contra fingite item alium, ad ejus aures nullus pariter de Carolo rumor, nulla omnino vox aliquando permeârît, hanc à me de ejusdem Præfulis constantiâ ad M. Tullii exemplar adumbratam amplificationem tantum perlegisse. Quæro, an is non aliquâ saltem opinione de summâ viri Sanctissimi virtute animum suum imbueret? an non illam admiraretur? an non deamaret? an non Carolum, si antea nihil supra reliquorum hominum conditionem aestimavit, jam tanquam in Beatorum ordinem, ac  
 sedes

sedes relatum demissè veneraretur ? Ut id  
 Adversarii frustra negent vos ipsos Audito-  
 res, qui tam multa de Carolo toties legistis,  
 toties commemorastis, toties ab aliis prædi-  
 cari audivistis, vos, inquam, consulite, an  
 non allatâ amplificatione vos affici, atque in  
 facti nobilissimi, vobis licet ante perspectis-  
 simi admirationem, admotis rationum muf-  
 culis, atque arietibus, trahi subsonferitis? At  
 hæc affectio animi, atque admiratio, non de  
 ingenio, aut cerussatâ dictione Oratoris, sed  
 de laudati viri prærogativis, illa illa demum  
 vera est persuasio, quam in Panegyrico quoq;  
 præcipue attendendam jam antea asseveravi,  
 atq; hoc compositæ expositionis exemplo, aut  
 consimili eliciendam modò contendi. Sed  
 ut ut est: profectò, si hujusmodi exaggeratione  
 eû eâ Adversariorû sedulo conferamus, nemo  
 non statim agnoscat, candideque fatebitur,  
 alteram ad Ciceronis lucernam elucubratâ,  
 hoc est, nostram, Caroli extollendâ, per-  
 suadendâq; constantiæ aptè congruere; al-  
 teram verò, hoc est, inanium Declamatorum,  
 non ad Caroli in precibus efferendam con-  
 stantiam; sed ad Oratoris in perpetuâ aber-  
 ratione pertinaciam, atque ad puerilem acu-  
 minum à proposito delirantium inconstan-  
 tiam locupletissimè confirmandam esse tor-  
 natam; neminiq; non erit exploratissimum,  
 Tullianam hanc dicendi formam nugaci illi  
 ac joculari sexcentis partibus antecellere.  
 Quod si hæc manca, leviterque delineata am-  
 plificatio præ commentitiâ illâ Adversario-  
 rum,

rum,

rum, sensum Lectorum, Auditorumve animos in magnam de Caroli constantiâ existimationem adducit; quàm firmum certumque ab iisdem assensum, quum suis coloribus perfectè erit depicta, extorquebit? si per capita dumtaxat libata, in pectus ita descendit; si amplè, si magnificè, si splendide suos in ambitus explicaretur, quò non penetraret?

**A** Si expressus ille in tabellâ Gigantis digitus, quem plures Satyri decempedâ metiebantur, tam magnus visus est: quanta fuisset totius manus, & corporis moles, quanta proceritas?

**B** Si auroræ prima crepundia vel dubiâ in luce adeo fulserunt; quid, quum Sol ipse radios undique sparserit in meridie? Hæc affecta, & non confecta Oratio si tam pallaci persuasione Auditores devincit; quas in eos compedes, quæ vincula, quas catenas, omnibus absoluta numeris, non injiciet?

68. Satis igitur cuivis jam testatum est, Auditores, amplificationem rationum ponderibus gravem, telisq; argumentorum unam in metam obversis, refertam, nusquam verborum officii inancem, nec temerè ingestorū

**A** acuminum intempestivâ inasitione luxuriantem, ineluctabili impetu, atque impressione Auditorem prostertere: contra verò sensi-

**B** culorum intemperantia mollem, ac fluxam, et si fortè enthymematis vegetam, at erraticâ argutiarum grandine fractam, omnium aures irritò verberare prætervolare. Quare licet

**C** Adversarii argumenta proferant aliquando robustissima; dum tamen hanc unam in am-

am-

DE ENERVATIS PROBATION. 117

amplificando itineris. Insistunt orbitam, ut à D  
re proposita disseminandis fortuito salibus ac  
sententiolis fere continenter peregrinentur,  
eorundem vim, quanquam acerrimam, pe- E  
nitus elidunt, rationumque libramenta, etsi  
solidissima, funditus elevant, elidunt, ever-  
tunt.

*Alio schemate, argumentorum vim eva-  
bunda argutiarum copia enervari,  
docetur.*

69 QUam fanè concervandorum acu-  
minum consuetudinem, argutia- A  
rumque immoderatione siderandorum impru-  
dentissimum consiliū apposito adhuc, neque,  
ut reor, injucundo ludo pulchrè possumus  
irridere. Ludicræ pilæ excutiendæ duo ego  
genera in præsens animadverto, quorum  
alterum certam quandam in longâ, extre-  
maque planitie metam jubet defigere, ad quam  
qui prior volubilem impellit globum, ludi  
palmâ potitur. Deinde, singuli in oppositâ  
orâ, ad ludi, ut ita dicam, carceres ligneam B  
pilam præferrato malleo, quem oblongo in-  
fixum hastili utrisque manibus tenent, altè C  
sublato, ac demisso, ad calcem rectâ colli- D  
neant: mox totis lacertis, viribusque incusso  
verbere, in ærem tollunt, tum desidentem  
præproperè geminatis ictibus ad constitutos  
terminos trudent. Quod si primò, alterove  
pilæ procurfu metam non tetigerunt, eâdem  
lege repetunt verbera, adamussim semper  
pergeat

pergentes, ac festinantes eandem ad metam. Nunquam regrediuntur, nusquam aberrant à tramite, nec ante progredi desinant, quam illam ipsam globo percusserint. Hujus generis Lufores pilæ ab illis Oratoribus verè antesignanis, verè palmaribus, ex ipsissimâ Suadæ profapiâ natis, Cicerone, inquam, & Ciceronis alumnis ad viuum exprimuntur, qui soli, quid sit amplificare; soli, quid sit, Orationem contexere; soli, quid sit, ad persuasionem expalpendam omnia causæ firmamenta dirigere, didicerunt. Hi nimirum, ubi sibi in Oratione delata ad se controversia persuasionem, vel Cœlitis alicujus præconia stylo exornanda, tanquam metam defixerunt; ita omnes enthymematum globos eam ad persuasionis, laudumque metam ferendam rectâ librant, ut in dicendi cursu nunquam ab illâ recedant, nusquam aliò temerè divertant; iterato semper rationum impulso, argumentorum pilis ariete semper validiore incitatis in Adversarium prouant, nunquam intersistant, nunquam conquiescant; perpetuo urgeant, rundant, ad finem semper procurrant, donec persuasionis victoriâ tandem aliquando potiantur.

70. Alterum est ludi genus, quod in quadratâ, aut paulò longiore, amplâ etiam, præaltaque aulâ, & multis parulâ fenestris jucundissimè exercetur. Hinc, atque illinc triplici in latere oblonga, humiliâque tabulara, sumraque declivis recti in morem inclinatis acribus ad sustinendam, remorandamque

p. lam

pilam fastigiata excitantur. Eâ in aulâ per- **B**  
 exigua pila tomento facta, reticuloque pulsa, **C**  
 ac repulsa, ultrò citroque comitat; perq; va-  
 rias vices nunc solo afflicta resultat; modò  
 inflexa volvitur in latus, jam Cœlo impacta  
 desilit; modò in transversum secta, deprimi-  
 tur; modò humi languescens immoritur,  
 mox novo animata verberè rediiva salit;  
 modò rejecta pariete reciprocatur; nunc ver-  
 eâ manu retorquetur; jam interjectum in me-  
 dio radens funem, in angelum illatebratur;  
 jam reticulo à tergo per divaricatas subsus- **D**  
 tibus actò ieruditur. Denique per multipli- **E**  
 ces anfractus, per diversas ambages, per va-  
 rios mæandros nullius metâ sollicita, volucris  
 semper itque reditq; nusquam hærens, incertâ  
 semper lege errans, aeris semper ludibrium  
 volat, ac revolat.

71. In hoc ego sphaisterio jam limatulos **A**  
 istos Declamatores vadimonium sistere jubeo. **B**  
 Hic ab eis D. Caroli constantiam, ne ab  
 usurpato semel exemplo discedam, laudari,  
 atque exaggerari vehementer cupio. Age,  
 prodeat in medium aliquis ex isto sententioso  
 cœtu amplificator egregius. O quàm longam  
 ab illo caudam duci, quàm multa sursum,  
 ac deorsum trahi animadvertas. Videbis  
 illum ratiocinationis filum minucatim  
 concidere: dices ab eo pilam in mille fle-  
 zus, in mille mæandros trudi, ac secari.  
 Quid enim illa sunt, aut quò pertinent? Ecce  
 totus eam in fistulam incumbit eam, licet è  
 ferro constet, aureo ipse, croceoque obducit

stylo; licet fumi fordeat caligine, lumine il-  
 lustrat eloquentia. mox cum plumbeo globo  
 ludit; tum Sanctissimi Præfatis purpuræ blan-  
 ditur; exinde vertit se repente ad lintea, su-  
 bitoque hinc strepitum ipsum, ac sonum affa-  
 tur. Demum in sulphureo pulvere sexcen-  
 ta rimatur mysteria, ut singula minutiùs la-  
 cerando, commodiùs ineptiat. Ita nescio,  
 quis diu multumque cum plumbeâ illâ glande  
 nugatus, hæc denique quasi ex vnguentatâ  
 gratiarum omnium pyxide festivus ardellio  
 depromit. *Hæc modis illa pila, scolare major,  
 quam mole; dumq; sanctimonia purpuræ arcetur  
 à vulnere, illico rubore suffusa in togâ coccineam  
 sese insinat, tot purpuram, quam se vix ferire non  
 poterat, jam in unionem versa, videri abunda ex-  
 ornat.* Hoc si est amplificare, Auditores, ac  
 non potiùs in sphæristerio apinarum omnium  
 pilâ levissimæ futilitatis ludere, ego, quid  
 Epila sit, quid amplificatio, penitus ignoro.  
 Quæ enim hic amplificationis species, qui  
 color, quæ umbra? Caroli constantia in di-  
 vinis precibus ostensa exaggeranda erat. Ad  
 id muneris quid facit fitula particulari de-  
 scripta? quid refert, fueritne auro obducta,  
 an are? quid momenti habet color purpuræ,  
 quid pulvis sulphureus, quid plumbeæ pile  
 absone hoc loco tributa ratiocinatio? nihil  
 profus. Quorsum in superiore illâ amplifi-  
 catione mixta cum nitrato pulvere fari-  
 na, nisi ut ex eâ nobis nescio quam insulsi-  
 salis sine sale placentiam, atque obtusi acumi-  
 nis pulvem concinnaret? An non igitur hoc  
 est.

est, per avia semper, & in via nutanti gressu,  
 atque vestigio commcare? An non, quum  
 de irrito plumbeæ pile ictu instituta esset am-  
 plificatio, hæc reapse ludicra pile recipro- **F**  
 catio quaestata est? Per tot erras diverticula,  
 vertiste modo in hanc partem, modo in illâ,  
 modo te flectis in latus, jam vergis ad fini-  
 stram, illico redis ad dextram: hic pedem  
 reducis, illic caput inclinas, ut quævis tu  
 nusquam omnino sis. Jam tuas **F** acumina  
 imo è solo tollis; nunc in aere suspendis; jam **G**  
 amputatâ sententiâ diffindis; modo suspicio-  
 sâ argutiolâ crispas; jam in cælum usque ab-  
 ditarum notionum subtilitates jacis; exem-  
 plo frigidè serpis humi; deinde metaphoris  
 ampullantibus improvisò excitatus resultas; **H**  
 filium orationis ductumq; quum transversum  
 propositæ quaestionis funem modo supra, mo-  
 dò infra dictis subsiliendo radas, imò rum-  
 pas, sequi non potes. Jam per cuniculos te-  
 nebricosarum allegoariarum, quasi sub diva-  
 ricata crura, suspiciones, arcana, obsoletæq;  
 eruditionis supellectilem obtrudis. Denique  
 sic te per omnes leporum venerumq; flexus in  
 quamcunque plagam torques, ut nullam ad  
 persuasionis metam argumentationis pilam  
 impellas, sed perpetuo per omnes lascivien-  
 tis, temereque peregrinantis ingenii amœ-  
 nitates curras, dictoque citius recurras. An  
 non igitur hic pile erraticæ ludus est? Iterum  
 enim inculcandum est. An non hæc pile pa-  
 ganica? an non hic trigon, & ludibrii plenum **I**  
 harpastum? Nisi quis malit, his putidorum **K**  
 F acu-

L acuminum veluti bellariis, saccharique globulis hiantis concionis palato imponi, ac tanquam suavi fascino Auditorem à causâ penitus abstrahi. At sine ullâ dubitatione omnium argumentorum robur, quod hic unum criminor, omnes enthymematum tori, omnes rationum nervi istâ sensiculorum pluviam tam densâ molliuntur, ac fœdè debilitantur.

*Non omnia actionis factive adjuncta in amplificationem trahi possunt.*

72. **A**T, inquit, certè hæc omnia illius actionis, præclarique facinoris adjuncta sunt, D. Caroli constantiam appositè locupletantia. Atqui adjunctis mirè ditescit, atque amplificatur Oratio. quis nesciat? quid ergo vetat (malum!) quid prohibet, hæc paulo hilariùs, limatiusque describere? ô tironum imperitiam! ô visa somniantium ridicula! An, ut omnia sine ullâ temeratae artis religione in orationem advocari queant, satis est, si adjuncta sint, & rem quoquo modo circumstant? Itane vero satis est? Ergo, si fortè tunc in eo sacello D. Caroli, ubi ille glande petitus fuit, aderat, imò sine dubio aderat tintinnabulum, & hoc opportunè delineandum erat? Aderant etiam aliqui domesticorum canes. ergo & hi graphicè expingendi? Supplices viri complures pronique in preces, coronam piacularibus textam globulis interim percurrebant. quo igitur piaculo sua hi descriptione fraudabuntur? Aderat & sacra

laera supellex. Hæc quoq; omnis ad unguem  
 nimirum recensenda fuit. Aderat ipsum al-  
 tare. Quid ni igitur & hoc eleganter styli  
 colore exprimatur! Aderat denique palatium  
 ipsum, in quo scelus illud nefarium patratum  
 est. Cujus ergo inertia fuit, cujus imperitia,  
 in hujus cubicula omnia, in tabulata, in am-  
 bulationes, in porticus, in atria, in latebras  
 postremo omnes non excurrere spatiaq; di-  
 cendo! At quis adeo mentis inops, atque im-  
 pos sit, ut hæc tam dissona, discrepantia  
 cum D. Caroli constantia coagmentanda ju-  
 dicet! Si quis hujus opinionis laborat mor-  
 bo, censeo, à medicis potius hellebori medi-  
 catam potionem ad levandum furorem petat  
 quam primum, quam ut ullam eloquentia  
 partem attingat.

73. Videndum igitur, videndum principio  
 est, ni velimus desipere, prudenterque expen-  
 dendum, quæ, & qualia sint illa adjuncta, an  
 cum causa, & sine persuasionis copulata, an  
 ad amplificationem, quam molitur, aliquid  
 conferant; & tunc commodè, atque in loco  
 inde amplificabitur Oratio. Sin autem ad rem  
 non faciunt, omittenda penitus sunt, aliisque  
 eorum loco adhibitis argumentis, ad ipsas cõ-  
 troverfia medullas fumina vi penetrandum.  
 Valent illa quidem temerè afficta attributio-  
 num emblemata, illa miniatula orationis A  
 prænitentis pigmèta valent ad, nescio quam,  
 voluptatis illecebram aucupandam; valent  
 ad plausum qualemcumq; ab Auditoribus he-  
 betioribus mendicandum, valent ad famæ,

ingeniique inanes rumusculos excitandos. At quid virium habet, quid spiritus aliena mei admiratio ingenii, quid doctrinae fama, quid phalerata plausus eloquentiae ad Caroli illustrandam e fierendamque constantiam? quis nexus haec tam longinqua, & disiecta coniungit? Oratio illa tua, quod multa legeris, quod varia pectus eruditione compleveris; quod memoria veterum omnium monumenta praesto atque in numerato habeas; qui Caroli constantiam Auditori persuadebit? qui, ut injurias condonet, eundem expugnabit? qui ut cum hoste, à quo vulneratus, ac penè jugulatus est, redeat in gratiam, extorquebit? qui denique Auditoris opinionem perdomabit, opinionique Oratoris dicendo subjiciet? Quam habent illa cum persuasione affinitatem, quam, cedo, quam necessitudinis umbram vel conjunctionis? Nullam, nullam profus. Si igitur nihilominus ea inconsulte assuantur, an non rationum vi ac pondus imminuent? Si generoso vino multam quis aquae copiam permisceat, vel aure primae notae ac purgatissimo multum aris, stanni; infundat, nonne quo plus aquae, aris, aut stanni vino, vel auro indit, eo magis vini diluit virtutem, auriq; praestantiam, ac pretium deterit? Nemo ambigit, Auditores. Ite nunc vos, mulso dulciores Oratores, validissimorum argumentorum nervis infinita acuminum turbam agglutinate; & illa ab istis summo opere enervari aperte comperietis.

74. Sed quam ob causam? nempe quod  
nul.

nullus tam fungus, aut stipes sit, qui, quid  
 distent æra lupinis, quod ajunt, ignoret: **B**  
 neque ullus sibi pro auro plumbum, pro vino  
 aquam, pro robustis argumentis aurium  
 illecebras patitur venditari. Auditor, si tibi  
 sui assensus potestatem facturus sit, argu-  
 mentis validis prehendendus est. Tu contra  
 validis argumentis molles acuminum deli-  
 cias importunissimè inseris; & fierine pote-  
 rit, ut eorum non fatiges robur, omninoque  
 subducas? Fingite vobis aliquem, qui, ut  
 mihi persuadeat enssem sibi esse è durissimi  
 chalybis laminâ, hoc maxime nitatur argu-  
 mento, quod ejusmodi gladius vaginâ coc-  
 cineâ, atque holosericâ inclusus splendeat, **C**  
 odoratisque delibutus unguentis, Adonidis  
 rosâ, ac floribus nihil concedat. Cui talis  
 confirmatio risum non excutiat? quin nesciat  
 aliam esse nudati ferri aciem, aliam tegentis  
 vaginæ iuxta? *Quis talis vaginam dicit*  
 gladio in pugnam rotat, an nudati aciem  
 gladii infligere, an subjecto mucrone latus  
 ferire potest? nullo modo. Nonne gladii  
 vires, atque impetum perdit? Sine dubio. Atqui  
 tu me isto Orationis ense non vulneras; neque  
 mirum; obtusus valde est. vis tamen mihi  
 imponere, ut solidâ illum ex laminâ conflatum  
 esse credam. At quas machinas ad id  
 mihi persuadendum admoves? Juras con-  
 ceptis verbis coccineâ illum vaginâ, holose-  
 ricaque amœnæ descriptionis, ac floridorum  
 acuminum totum esse obductum, atque orna-  
 tum. ô insaniam! ô ineptias! Quid vaginæ

cum ferro, ut feriat? Nihil sane. Tam igitur argumentorum robur spissis eliditur acuminibus, ac frustra est, quam gladii acies, si quis in praelio vaginâ utatur pro gladio.

*Immoderata ornamentorum frequentia attentionem obruit Auditoris.*

75. **A** Nimadverto, nunc Judices, quò se metu profugus recipiat Adversarius. Video, in quod se asylum, ac latebras abdat simulationis. Dare se manus fatebitur, piaculum esse in eloquentiâ inexplabile; à re propositâ, ut acuminibus licentius indulgeas, aberrare perpetuò, aberrandoque multâ lectionis, memoriæ, doctrinæ, atq; ingenii ostentationi velificari; eâdemque illâ tam erraticæ velificationis operâ omnia argumentorum munimenta convellere, ac demoliri. Sed longè aliud sibi esse consilium, longè aliam mentem. Volo, inquiet, argumentum primo intortum loco urgere; volo recto tramite insistere; volo non interrupto filo causam persequi; volo tandem Orationem semper, ut ita dicam, fastigiare. Sed volo etiam ad gratiam conciliandam, ad Auditorum oblectandum, ad Judicis leniendam rædium acumina interficere; placet argutias inspergere: operæ pretium est, eliminatos intercalare fensiculos, tortisque periodos sententiolis interpolare. **E** ò acutû in re trepidâ **F** cõsiliû! ò catam, fagacemq; in extremo infortunio prudentiam! Sed frustra, Auditores,  
his

his se castris interpositæ mediocritatis, aut  
perpetui tractus acuminū factores isti tuetur. **G**

76. Nam ut illis etiam indulgeam, nunquā  
eos à quaestione propositā, quod tamen mi-  
nimè præstant, declinare dicendo; ut in cur-  
su Orationis ab illis acuminā atque argutias  
interjici tantum, non effundi, ponam; ad-  
huc tamen ex compedibus inextricabilibus  
supinæ cujusdam inconsiderantiæ nequeunt  
evadere. Taceo primum tam longam acu-  
minum seriem perenni quadam tramā, &  
sibi ubique simili, nusquam discolori contex-  
tam nihil virium aut roboris habere posse.  
Taceo deinde, nova, atque alia identidem  
argumenta per quam raro admoveri, sed  
unum atque idem dumtaxat variā multipliciq;  
similitudine diduci, atque extendi. Taceo  
etiam tantundem firmitatis in ipso Oratio-  
nis initio, quam in exitu ac fine reperiri.  
Unum est tantummodo crimen, quod hic à  
vobis, Auditores, diligenter velim animad-  
verti. Argumenta, quum temerè huc, atque  
illuc, impedito confirmationis tramite distor-  
quentur; eorumque loco acuminum farrago  
subjicitur, nō solum suapte naturā frangi atque  
luxari, ut hætenus quā rationibus, quā exem-  
plis clarissimè patefecerim, necesse est, verum etiā,  
licet eadē argumenta validā per se essent; licet  
continuo ductu essent cōmissa; licet non essent  
disiecta, neque distorta; si tamen nihilomi-  
nūs immodicis salibus, jocis, annomina-  
tionibus, metaphorisque inspersa, obsessa,  
incrustata, & cooperta sint; adhuc vim suam

nervumque ex parte Auditoris, ut iam ostendam, amittunt. Illa quippe illecebrarum immoderatio Auditoris attentionem ab ipsorum argumentorum pondere, si quod habent ipsa in se, trutinando, expendendoque avocat, distrahitque ac proinde & illorum vim in animo ejusdem Auditoris extenuat, ac retundit. Sic nimirum vites, si inmodicis luxurient pampinis, atque capreolis, quem humorem & luccum uvæ racemis, ipsa castigatae sollertiùs, suppeditassent, in vanas inutilesque propagines diffundentes, Sole destitutæ, umbraque opacatae, vini copiam cum sterili foliorum redundantia, noxie, misereque commutant. Quo loco ad calculos ego phaleratos istos Oratores jam voco. Adeste **B** acuminum Sephasiarum. Quæso vos, quum vestrum aliquis Auditoris mentem per sua **C** illa vibratorum sensiculorum roseta circumducit; quum ab eo contortulis sententiolis vigorem succumque intenti animi exprimit; quum tot in argutias, in tot sinuosa dictionis **D** lacinias ejusdem cogitationes derivat; enuntiate, qui sensus, quæ vis, qui spiritus ad percipienda rationum momenta, quod iudicium ad libranda argumenta, quæ alacritas ad firmamenta causa ponderanda illi superesse possunt? Avocant scilicet à recto persuasionis tramite Auditorem hæc tuæ metaphorarum intemperia, hæc tuæ argutiarum **E** cumino sceniculoque falsa subtilitates. Abripiunt quam longissimè animos hominum hæc tua minutarum concisio periodorum,

hæc

hæc tua piperata dicta, hæc tua vellicantia F  
 jocorum salsamenta ab summâ illâ atten-  
 tione, quam in causâ defixam esse oportere,  
 quam tanto artificio in exordio aucupandam,  
 tantis precibus in decursu renovandam, tot  
 lenociniis ubique fovendam ac retinendam, G  
 ad unum omnes dicendi magistri vociferan-  
 tur. Quare quum attentionis quovis in ho-  
 mine vis finita sit ac terminata, finitus est  
 etiam Auditoris in percipiendô labor. Quem  
 quo in plura dispertis, eo magis nutat, ac  
 fatiscit in singulis. Fac igitur te validissima H  
 in medium attulisse argumenta. Si tamen  
 Auditor dimidiatam tantum eis attentionem  
 applicuit, quod reliquam partem tuis delica-  
 tis leporibus addicere coactus est; quis non  
 videt eorundem vim argumentorum dimidiâ  
 omnino partem imminui, & labefactari?

*Intemperantia acuminum satiетatem affert  
 Auditoris.*

77. ENthymematum robur, quamvis per  
 se firmum, nec aberranti acuminum  
 excursionem debilitatum, quando luxuriante  
 metaphorarum, & gratiarum exuberantiâ A  
 obruitur, plurimum nihilominus enervari,  
 quod Auditoris attentionem multas in par-  
 tes, ac veluti multos in capreolos necessario B  
 deficiat, jamrevici, Patres amplissimi. Quid  
 si modo ostendo, hanc ipsam argumentorum  
 vim ex parte itidem Auditoris, quum sen-  
 tentiis immodicè implicatur, valde infrin-

gi, non tantum quod ejusdem attentionem  
 in plura, ut jam vidimus, derivando exte-  
 nuat; sed etiam quia incredibilem, intolera-  
 bilemque fatietatem parit, atque hujusmodi  
 fatietate tandem illam ipsam, quantulacumque  
 superest, attentionem tollit? Quid tam enim  
 attentioni inimicum, quam fastidium &  
 nausea? Naturam certè, & consuetudine ita  
 paratum est, ut, quae toto remota caelo nul-  
 lam habent nobiscum affinitatem, nullumque  
 commercium, ore planè oscitanti, aversoque  
 stomacho rejiciamus; vel si audiamus, auri-  
 bus omnino aspernantibus, minimè recipia-  
 mus. Sin autem, quae amplificando efferi-  
 mus, ejusmodi sint, ut ad ipsum Auditorem  
 maxime spectent, ipsum tangant, ipsum illa  
 non ignorare non nihil referat, vel certè ip-  
 semet ultro cupiat, (quo in munere imple-  
 do regnat planè, atque triumphat incompara-  
 bilis M. Tulli industria, accerrimumque ju-  
 dicium) extemplo cernas illum utraque arri-  
 gere aures, ab ore dicentis pendere, libenter  
 & cum voluptate operam dare Oratori. At  
 tua ista acuminum argutiarumque nundinatio  
 quem nexum, rogo, habet, quas manicas,  
 Auditori quoquo modo agglutinandas?  
**C** Nullas. Tubera sunt illa ebullientis ingenii,  
**D** pustulae praecipitis linguae, inflatae bullae tur-  
 gidae cujusdam, atque ampullantis confiden-  
 tia. Scilicet Auditorem valde detinere po-  
 test tua ista gloriolae aruscandae cupiditas.  
 defiget ille, opinor, mentis aciem in tuam  
 istam putidae vanitatis ostentationem Sus-  
 piciet

piciet nempe intentis auribus tuam hanc  
 famæ perditam, famelicamque affectionem.  
 Imò verò nihil magis averfabitur, nihil feret  
 indignius, aut molestius. Quid quòd non  
 eo tantum nomine, quia acuminum ille tan-  
 tus acervus ab Auditore adeo disunctus est,  
 celerem habet satietatem; sed etiam, quia  
 omnis ea voluptas, quæ tota artis ipsius (quam  
 inertis tamen, quàm languidæ?) arguto le-  
 nocinio suavius blanditur, quàm citissimum  
 creat fastidium? Artem cum naturâ, si pla-  
 set, paulum contendite. Illius oblectamenta  
 si clepsydra dimetiamur, longè, quàm hujus, F  
 comperiemus esse breviora. Picti imaginem  
 ruris, aut vericolas avium plumas si quis  
 spectet in tabulis, primo statim obtutu totam,  
 integramque oculis haurit oblectationem,  
 dulcissimè afficitur, jucundissimè detinetur.  
 Sed fac eandem in imaginem sapius, ac diu-  
 tius oculos incurrisse: & sensum jucunditatis  
 gratiam deflorari, flaccescere, & consensescere  
 animadvertes. Nunc è contrario nature vivas  
 contemplare delicias. Maris fusam, æquabi-  
 lemque planitiem, suave tacitè labentium  
 rivulorum murmur, emicantium fontium pe-  
 rennitates, lucorù umbras, prata herbis, flori-  
 busq; vernatia, colles, ac valles hinc amœniter  
 viridantes, illic saxis, dumetisque variatas,  
 curiosis lutrato oculis, identidem, ac sæpe  
 intuere. Nonne harum aspectus illecebratum,  
 quas natura ipsa concinnat, novo semper vo-  
 luptatis illicio suos recreat spectatores!  
 haud secus etiam aurata illa acuminum, gem-

mataque diademata, artis præstigijs inculcata frequentius gravi paulatim fastidio aures obruunt, atque alienant. Contra verò propria accuratè orationis, & quasi nativa ornamenta, dulcibus devincta numeris, ceu à naturâ profecta, longè diuturniore, atque utiliore delectatione sensus, mentemque demulcent Auditoris.

78. Quid quod sicut in naturâ quoque, nedum in arte, quæ grato odore nares oblectant initio, ut electrum, suffimenta, lilia, & ungueta, paulo post caput gravi dolore cruciât; ita profus immodica ornamenta, quanquam principio aures voluptate nonnihil deliniunt, tamen continuo post satietate quemcunque Auditorem, Lectoremque, ut eunque etiam alacrem, vividumque valde delassant? quantâ enim molestiâ conflictatur, quanto tædio obruitur vocatus conviva, qui multâ fessus inediâ, ac penè necatus, in mensam pro solidis dapibus, ac cibus, inania dymtaxat gula irritamenta, dulcia bellaria, delicata ex coactò, coneretoq; jure fercula, triumphales è saccharo quadrigas inferri cernit? Atqui nihil secius quilibet quoque Lector, atque Auditor offenditur, qui summâ flagrans cupiditate, ac veluti fame propemodum enectus rei, quæ sibi in Oratione proposita est, cognoscendæ, ac penitus introspicendæ; ex adverso acuminum tantummodo scitamētis, argutiarumque embammatis ab Oratore appolitis illudi sibi, ac per futilium sententiolarum anfractus se se circumduci, simulque traduci

traduci animadvertit. Quid plura? Testor ego ipsosmet acuminum industrios, operososq; geminarios, qui quum elogia, quae concinnant, huiusmodi fasciculis infarcire, gratiamque hinc quam maximam illis conciliare studeant summoperè (quod sane in hoc, & simili scriptiois genere non solum fas est, ut antea praemonui, sed etiam omnino requiritur, nec sine piaculo ferè negligitur) satiетatem tamen, quam istae ipsae inculcatae veneres patiunt, usque adeo minimè dissimulant, nec diffitentur, ut potius Lectorem disertè, enixeque obtestentur, ne, ubi unum, alterumve elogium libaverit, ultra pergat, sed lectionis parsimonia fastidio occurrat. Recitetur haec loco ingenui non minus, quam ingeniosi viri prospicua denuntiatio, & aperta confessio. *Carus, inquit, ne opus hoc panem putes. Genus hoc cibi, excitandis ingenii nascitur est, non pascentis. Nisi cum moderatione sumatur, nimium aridis mentibus nascere creat. Perpendantur haec, non procurrantur; ideo cum violentiam quamdam legenti inferant, à quo non quamcumque, sed omnem attentionem exposcunt, diutolerari non possunt. Farta Laccensis Oratio, quia minimè imitatur naturam, ut illam exhilarat prima illa specie artis, ita paulo post laedit; dum nihil illi obvium exhibet sed omnia talia, ut nisi eruantur, non prodeant. Flores sistunt; carpuntur per se singuli summis digitis, non tota immissa falce mesuntur. Vbi*

*unum*  
Aloysius Jugularis in suis de Christo Iesu Elogiis,  
in Monita ad Lectorem, pag. 17.

unum, aut alterum delibaris Elogium ne fasti-  
dire alia debeas, nouam famem expecta. O-  
eximum, ac singulare elogiorum elogium,  
quod mihi oraculi instar in hac causa ha-  
bendum planè est. At si densata acumina in  
elogiis ipsis, in quibus alioqui regnare so-  
lent, & verò etiam debent, tantam nihilo-  
minus satietatem Lectori afferunt, quantam,  
Deus immortalis, ubi maiorem Orationis  
partem, aut potissimam occupant, in alienam  
prorsus immissa sedem, Auditoribus cunctis  
necessario creabunt? Nimirum ipsa acumi-  
num, & sententiarum copia inopem memo-  
ria Lectorem, atque Auditorem necessario fa-  
cit. Nam enim hæc Orationis scitamenta  
hominis intelligentiæ sine modo ingeruntur,  
& alia aliis continenter illigata, & conglu-  
bata eidem sine ullâ interpiratione obtru-  
duntur, mentem cuiuscunque novis semper  
lacetam argutiis, cæterarum venerum,  
quas nemo, qui audit, vel legit, nisi per  
transennam aspicit, obliuisci, easq; ex animo  
**A** funditus obliterare, ut cunque etiam memoriâ  
excellat, omnino cogunt. Unde humanum  
ingenium hac defultoriâ fensiculorum im-  
**B** misione, ac depulsione, velut ludibrio habi-  
tum, nimium quàm cruciabiliter torquetur,  
indignabundumq; se hac dictorum intempe-  
rantia ingurgitari, intolerabili satietate de fa-  
tigatur, similiaq; denuò funditantem Orato-  
rem summopere fastidit. Quum igitur acu-  
minum luxus, & quia ab Auditore valde ab-  
iunctus, & quia apertæ artis molimine coa-  
ctus

DE OBSCURITATE ORATIONIS. 135  
tus est, magnumque parit tædium, ejusdem  
attentionem subito abducatur, atque debilitet:  
cui obscurum esse potest, quantum viriumque  
roboris argumentis, quæ attentione fraudata,  
prohibita, atque exclusa, in Auditoris animum  
penetrare nequeunt, decedat?

*Ornamentorum intemperantia gignit  
obscuritatem.*

79 **H**Æc sunt, Auditores, meæ firma-  
menta causæ, quibus elegantes  
istos Oratores argumentorum neglectu, vel  
prævaricatione, à proprio officio, seu fine  
inuito appositè dicendi ad persuadendum,  
quàm longissimè, atque absurdissimè discedere  
commonstravi. At nec dum obliviscor hu-  
manitatis meæ; neque me piget meæ in illos  
jam sæpius exercita liberalitatis. Demus enim  
hoc etiam illis, quando tam multa haud  
semel largiri cœpimus. Demus hoc, inquam,  
illis, quoniam id virtute consequi nequeunt,  
& valida ab eis vibrari argumenta, & verò  
etiam, si Deo placet, gravia, plenaque digni-  
tatis; nihilque eâ acuminum farragine Audi-  
toris impediri attentionem. Alio tamen ad-  
huc laborant vitio adeo scædo, ac pernicioso,  
ut hoc unum solumque reliquas Orationis  
partes ac dotes, licet forent exquisitissimæ,  
facile corrumpat universas. Quod verò huic  
monstro nomen est, Auditores? obscuritatis  
esse flagitium, vosmetipsi haud obscure jam  
intelligitis.

80 Non

So. Nō me fugit sanē Orationē, etiā satis per se dilucidā, atq; perspicuā, Auditorum tamen imperitiā obscuram se penumero falso, temereque dici, ac reputari. Quam ut ego nunquam obscuritatis insimulabo; ita inertiam potius, atque infantiam carpam Auditoris, qui Latinitatis cognitione leviter tinctus, id obscurum, id non Latinum in scite pronuntiat, quod etsi apud Latinos testatum, & in claro positum lumine, ipse tamen, ignorantia retardatus, non percipit. Neque hic me teneo, quin vehementer indoleam, & querar, eorum plerosq; qui Latinos Auctores jejune admodum, oscitanterq; lustrarunt, de Latinitate judicium, atque censuram, Judices plane iniquissimos, omninoq; explodendos, audacter sibi arrogare. Neque enim quemquam Tulliano ita addictum nomini esse vilim, aut oportere existimo; quin reliquorum etiam classicorum scriptorum, quicumq; Latinam linguam jure suo propagarunt, verbis ac vocibus, vel ipsomet Cicerone ita decernente, ne dum suffragante, satis munitam, atq; ornatam putet Orationem. Hæc Latinae linguae gratiā dixerim, quanquam meam hanc disputationem, atque actionem non tam ad Latinam linguam, quam ad cæteras quoque omnes cujusque nationis proprias, atque vernaculas, ut jam clarè præfatus sum, pertinere volo. Etsi, quia nobis Latinus sermo (idemq; de Græco, atq; Hebraico statuendū) peregrinus quodammodo accidit, in hoc potissimum, ut etiam in aliis omnibus extraneis

neis linguis, obscuritatem frequentius, proniusque iis, quibus extraneæ sunt, contingere fatendum est. Obscura igitur ea dictio atque Oratio, cujuscunque linguæ sit, appellanda est, cujus singula vocabula quum facile intelligantur, quid ipsis omnibus vocabulis unâ coagmentatis sublit notionis, quænam illis involvatur sententia, nemo ferè è populari concione, quæ dicentem audit, divinare potest.

81. Quo sanè obscuritatis vitio quid in Oratione inanius, quid turpius, aut amentius excogitari possit, vix reperio, Auditores. Mitto primùm, quàm absònum, præpotterumque sit, quod supra ex M. Tullio jam commemoravi, causam à patrono obscurius edisseri, ac disceptari, quàm a cato cliente eidem Patrono simpliciter proponi, & sine fūco explanari. Quum enim peregrinâ utentes linguâ, Græcè, Hebraiceque nos alloquentes, Græci nos sermonis, atque Hebraici ignari, auscultamus, quàm difficile à risu, & scom-<sup>A</sup> matis temperamus? An tu amicum ferres, qui tecum familiariter confabulaturus, orationis involueris, griphis, atque ænigmatis<sup>B</sup> familiarem sermocinationem implicaret, ac sepeliret? Nonne ab hominum cœtu, qui eâ semper lege loqui vellet, ut nunquam intelligeretur, in solitudinem aliquam esset penitùs ablegandus? Et qui de suggestu integram concionem alloquitur, seque eum eâ de proposito quæstione verba facturum pollicitus, omnia sensiculorum infuscat caligine, sine

convitiis, aut sibilis tolerabitur? Sanè qui verborum sonum blandissimum exaudiri volunt; sensum autem, ne Auditorum captui illucescat, vocabulorum quasi funiculis in transitu, ut ita dicam, strangulant, boum inconditos mugitus, canumque excordes latratus præ aperto planoque sermone, humana cæteroqui consuetudinis illiæ, amare sese, atque in deliciis habere profitentur, nobisque quasi antiquæ simplicitatis hominibus, hæc mysteria sibi, hoc est, acutissimis capitibus vulgata esse, nulloque negotio obvia, imponere conantur. Perinde ac si de mentis potestate essemus dejecti, ut ipsas animantes peculiari quodam sermonis genere mutuo inter se uti, vicissimque se se intelligere, quod deliris aniculis urbani fabularum architecti facile persuadent, crederemus, meraq; nugamenta, & somnia pro oraculis acciperemus.

82. Deinde, si tua hæc perobscura mysteria nullus ferè percipit, cui, quæso, sunt illa usus quorsum, aut quem in finem adhibentur? quanti vis ea æstimari? quâ admiratione excipi? quanto applausu, atque assentatione palpari? At si non intelliguntur, si ab auribus repudiantur, si in animum nequeunt irumpere, quis non videt ab eis nihil istorum effici posse? quis nescit omne oleum in ipsa temere esse profusum? Nisi fortè unâ hanc tuâ strenam laboris præstantissimam, imò multissimam eblandiri cupis, ut omnium captum planè te vicisse, omniumque memoriam fastidiosè obruisse videaris, totidemq; anigmata,

quot

quot ferè locutiones, ut nemo quicquam ex his assequi potuerit, abs te edita, Auditores omnes non tam prædicare, quàm exhibilare cogantur.

83. Hanc porrò à suis Orationibus, & Concionibus inquinatissimam obscuritatis labem acuminum isti delicati fabri nullo modo possunt abstergere, Iudices sapientissimi. Nam quis ipsa exercitatione atque usu doctus, non comperit, si nitida leniterque fusa Oratio, & cuius paulum dolato, neque rerum **A** omnino imperito perspicua, inculcatis sententiarum ramentis farciatur; illico ob- **B** scurari, splendorem amittere, spissisque tenebris, & cæcâ proflus nocte obduci, ac tumulari? Enodes tabulæ politæ sunt, læves, atque **C** exæquatæ; jacentes perexiguæ in fundo ranæ, quum pellucida rivi unda labitur, **D** liquidò cernuntur; pura licia ac stamina crudo detracta lino, mollia sunt, manūque **E** facilè stringi possunt. Contra verò ubi asseres perpetuis ferè asperantur nodis; ubi rivus vel turbidas volvît aquas, vel gelu duratur; ubi multa licia torquentur in funem; scilicet **F** asseres rigent, concretus glacie rivus sistit aquas, intortus fumis stylis trajici vix potest. Iam quid obscuritatem, quæso, nisi subducta lux parit. At Oratio an non cœu lævis tabula, ac sinodis, equabilis; velut purus amnis, pellucida; tanquam molle stamen, flexanima esse debet? Si igitur acuminum astringatur nodis, si argutiaram plerunque nive ipsâ frigidiorum, glacie concreseat; si multiplici exilium sensu-  
qulorum

**G**culorum licis intexatur; quantum luminis,  
 splendoris quantum subducetur? quantum  
 caliginis offundetur? quantum obscuritatis  
 objicietur? nonne contorta, nodosa, gla-  
 ciata, hoc est, dura, aspera, anceps, ac tene-  
 bricosa evadet oratio? Neque verò nodus ille  
 Gordianus ita fuit implexus, atque istorum  
 fermo innumeris mysteriis est involutus. Ani-  
 mi sensa clarè, & disertè exponere piaculum  
 autumant; uberius dictionis filium, atque ex-  
 plicatum, tanquam plebeium, & vile interpre-  
 tantur. Ergo notiones mentis evibratis radunt  
 sententiis, eruditione crispant, argutiolis sti-  
 pant, captiosis subtilitatibus impediunt, ac  
 vinciunt. Et in tantis sensuolorum circumfusus  
 tenebris, in tam cæcâ metaphorarum, atque  
 allegoariarum nocte radius ullus perspicuæ  
 orationis, ulla lucis scintilla poterit emicare?

84. Verùm tam operosa molitione obscuri-  
 tatis quid tandem, quid, rogo, consequun-  
 tur? **A** Ut atris sapientum omnium calculis,  
**B** communiq; aurium convitio rejiciantur. At  
 quid mirum, hæc tam aculeata, atque subtilia  
 acuminum spicula secundâ disertorum viro-  
 rum admurmuratione non excipi, quum à  
 vulgatâ hominum intelligentiâ, atque ab om-  
 nium sensu opinioneque sint aliena? Sunt ea  
 perobscura, sunt contracta, adstricta, pressa,  
 ingenique licet prompti, & celeris aciem fal-  
 lunt, ac fugiunt. Liquidi, ac tenues aquarum  
**C** latices, Auditores, quanvis angustis incilibus,  
 aut canalibus immisist, in prata tamen côm-  
 de

dè derivantur. At si glacie densentur, illico exigui oris angustiis excluduntur. Ita prorsus, dum leniter fluit oratio; dum per nitidas claraeque decurrit sententias; dum perspicuae notionis puros latios vehit; in Auditoris animum facile ingreditur, molliter penetrat, citò pervadit, illumque instillatà guttatim, ut ita dicam, persuasione perfundit. At si argutiarum glacie duretur; si spisso acuminum gelu rigescat; si ad memoriae ostentationem confusum Pandoræ vasculum singillatim explicet; si Historiarum texat Iliadem; si involutæ eruditionis infinitam vim congerat; si per omnia curiositatis viridaria peregrinetur; scilicet supra Auditorum captum intumescet, eorum ingenio non congruet, in nullius intelligentiam illabetur, longè lateque exspatiabitur, ac penitus exundabit unde, ut liqueat, cujus tandem farinae sint tua illa è farina, pulvereque, quum in Farinam\* perditissimum sicariū ludis, ut supra vidimus, cōflata acumina, apponendus erit, qui indicet, in margine commentarius. Quippe, quum hæ subtilitates vulgò ignotæ sunt, Auditorum aures, quòd familiari, cotidianoque sermone, aut certè à consueto usu non abhorrenti assuetæ sint, tot argutiarum, sensiculorumque exundante veluti oratione, ac restagnate, necessariò obruuntur. Scilicet quæ isti horum leporum anxii anularii ad lucernam texuerunt, quæ ad multam noctem, intelligentiæ hinc indagantur.

D  
E

F

G

\* Supra num. 57.

indagantis perspicaciâ , illinc mentis in sese replicatæ , remeantisque arduâ commentatione elaborârunt; quæ per multos dies subtilissime in speciem, ingenti torno, in otio, ac quiete, pluteis affixi; animi aciem, admotis intentionis fiducialis, quasi in quæstionem poscentes, & quodam insoliti conatus equilibrium torquentes, excogitârunt; mox deleverunt; rursum inchoârunt; iterum expunxerunt; de novo interpolârunt; multo denique cum sudore tandem aliquando affabre expoliverunt: ego deinde unus de populo, licet nõ imperitus omnino, at neque doctissimus, cum mei similibus hominibus festinatò, in transitu, exigui puncto temporis, non tantum per transfennam **K** adspiciam, sed planè introspiciâ, & quæ Oedippo agent interprete, celeriter pronuntiata, conglobatimque evoluta ego fastidiosus Auditor assequar probè, & comprehendam. O iudicii corruptissimam trutinam! ò puerorum incompositos calculos! An ego, quæ isti sunt **L** cata dictionis cinnifiones calamistratâ acuminum casarie de industriâ implicant, atque obscurant, intelligentiæ vi repente explicabò, statimque ad pertenuem ingenii mei lucem, perducam?

§5. Hæccine verò sũt illa documẽta hæc illa monstra, quæ Iulius Quintilianus acerrimi vir iudicii, dicendique magister sollertissimus de perspicuitatis virtute Oratori necessario comparandâ, cõtra verò de tenebricosi sermonis vitio summâ accuratione declinando tam sapienter exaravit? *Nam si neque pauciora*

(in-

(inquit) quàm oportet, neq; plura, neq; inordi-  
 nata, aut indistincta dixerimus, erunt à lucida,  
 & negligenter quoq; audientibus aperta: quia id  
 ipsum in consilio est habendum, non semper tam  
 esse acrem iudicii intentionem, ut obscuritatem  
 apud se ipse discernat, & tenebris orationis infe-  
 rat quoddam intell gentia sua lumen: nisi tam  
 clara fuerint, qua dicemus, ut in animū ejus va-  
 sio, ut Sol in oculos, etiamsi in eā nō intendatur,  
 incurrat. Quare non ut intell gere possit, sed ne  
 omnino possit non intelligere, curandum. Propter  
 quod etiam repetimus sapē, qua non satis perce-  
 pisse eos qui cognoscunt, putamus. Qua causa  
 utiq; nostra est culpa dicta obscurius ad planiora,  
 & communia magis verba descendimus, quū id  
 ipsum optimè fiat, quod nos aliquando nō optimè  
 fecisse simulamus. Sed quid ego hanc pruden-  
 tiam ab iis requiro, qui huiusmodi scita, ac  
 monita vel nunquam legerunt, vel si legerūt,  
 ignaviter, ac turpiter solent negligere? No-  
 lite quippe, Auditores, nolite ab istis tene-  
 brionibus Oratoribus quicquā luminibus ex-  
 pectare; evidentia nihil, nihil profus, Quem-  
 admodum enim fœdæ lasciviæ individua co-  
 mes est spissa quædam nubes caliginis; ita hūc  
 ingenū intemperātis luxum in argutiolis istis  
 coacervandis necessariō altæ quædā tenebræ  
 consequuntur, quæ orationem omni fraudant  
 luce, perspicuitatem excæcant, fensa animi  
 æternā quadam nocte damnant, ac premunt.

86 Jam verò, etsi paulò ante dedi gratis Ad-  
 versariis meis valida ab eis, & gravia, quan-  
 quam non afferunt, argumenta torqueri, ni-  
 hilque

hilque tam acutè declamando Auditoris impediri attentionem, & do etiam modò, nihil inde satietatis eidem, vel fastidii creari. At ecce subito totum id mihi vel inviti coguntur **A** remittere, aut redhibere. Quid enim? si argumentorù spicula orationis obscuritate ab iisdè obrunduntur, nonne perinde est, ac si invalida, ac silevia, ac si nulla omnino adhiberentur? Si eorum vis argumentorum Auditoris animum non afficit, si gravitas non urget, si mucro non penetrat, si pondus non calcet, si aculeus non tangit, aut ferit intelligentiam: quorsum inanis verborù strepitus frustra excitatur? quorsum concionis aures incassum tunduntur? nonne tantundè plagarù, vulnerumq; inferes, ac si illa penitus omnia prætermisisses? Dapes, licèt exquisitissimæ, ante oculos tantum posita, quandiu per os in stomachum non trajiciuntur, latrantis famem ventris nihilosecius levant, quàm si nullius essent succi, nullius alimentii. Neque igitur argumenta, quousque clarè percepta, & quasi mansa in ipsum animum non demittuntur, quicquam eum percellent, aut commovebunt.

*Fabii Quintiliani auctoritate, novisq;  
reliis causa Adversariorum  
configitur.*

87 **V**Erùm antequam ab his rationum tractandarum flagitiis, quæ acutissimum isti vitriarii admittunt, discedam; lubet **Q.** Fabii Quintiliani, quem paulò ante lués

laudavi, Rhetoris peracuti testimonio gravissimo, & superiora omnia tormenta, quæ in eos hæcenus explōsi, quibusque vel pervicaces, frustra que reluctantes fregi, egregiè corroborare; & aliis insuper argumentorum missilibus, veluti ex machinâ, uno ictu, si qui sunt reliqui, omnes refractarios in fugam convertere. Illa (inquit) *sententia semper vitiosa, uti à verbo Patres conscripti, sic enim incipiendum est mihi, ut memineritis Patrum. Peius adhuc, quo magis falsum est & longius petitur. Contra eandem sororem gladiatoris, cuius modo feci mentionem. At digito pugnavi. Est etiam generis ejusdem nescio an vitiosissimum, quoties verborum ambiguitas cum verum falsâ similitudine jungitur. Clarum auctorem juvenis audivi, quum lecta è capite cujusdam ossa sententia gratiâ tenenda matri dedisset. Infelicissima femina nondum extulisti filium, & jam ossa legisti. Ad hoc plerique minimè etiam inventiunculis gaudent, quæ excussa risu habent, inventa facie ingenii blandiuntur. De eo, qui naufragus, & ante agrorum sterilitate vexatus, in scholis fingitur se suspendisse. Quem nec terra recipit, nec mare rependat. Huic simile in illo, de quo supra dixi, cui Pater sua membra laceranti venenum dedit. Qui hoc edit, debet hoc bibere. Et in luxuriosum, qui à roxæ rignori simulasse dicitur. Necte laqueum: habes, quod faucibus tuis irascaris. Sume venenum, decet luxuriosum bibendo mori. Alia vana, ut suadentis purpuratis, ut*

Lib. 8. cap. 5.

©

*Alexandrum Babylonis incendio sepeliant.*  
 „ Alexandrum sepelio. Hoc quisquam spectabit electo? *Quasi verò id sit in re tota indignissimum.* Alia nimis, ut de Germanis dicentem quondam audivi. Caput nescio ubi impositum. *Et de viro forti.* Bella umbone propellit. *Sed finis non erit, si singulas corruptorum prosequar formas.*

88. Hic Auditores, necesse omnino est paulim interistete, & Fabium Quintilianum huc in medium vel ab Inferis advocare. Si tantus enim, tamque emunctæ naris vlr has, quas modo recitavi, vosque audistis, ac pares sententias, licet jocularibus infertas declamationibus; tamen ceu vitiosas reprehendit; quid, rogo vos, per vestram humanitatem, atque sapientiam, Judices, diceret; si non modo istorum simillimas, sed multo etiam deteriores atque ineptiores, non in levibus duantaxat, sed etiam in gravibus; neque in ludicris tantum, sed in seriis quoque Orationibus reperiret? Quid si non solum scholasticas intra palastras, sed etiam in forensibus & civilibus causis, in sole, & pulvere? quid si Christianus factus Orator, nostræque gnaræ religionis, non in profanis tantummodo Orationibus, sed in sacris quoque Concionibus intra augustissima Tempia id genus portenta nihilo meliora, vel fortè etiam longè turpiora deprehenderet? Nimirum vel summâ correptus indignatione, fremeret, vel stupore defixus hæreret. Certè quidem nullum tam perniciosæ corruptelæ magnâ  
 laterum

lâterum contentione vituperanda, exagitan-  
daque finem meritissimo faceret. Cæterum,  
ubi Fabius vitiosarum exempla sententiarum  
recensuit, ita pergit mox illas rationibus quo-  
que improbare.

89. Dua sunt (ait) diversa opiniones, aliorum  
sententias solas penè spectantium: aliorum om-  
nino damnantium: quorum mihi neutrum ad-  
modum placet. Densitas eorum obstat invicem,  
ut in satis omnibus, fructibusque arborum nihil  
ad justam magnitudinem adlescere potest, quod  
loco, in quem crescat, caret. Nec pictura, in  
quâ nihil circumlitum est, eminet. Ideoque arti-  
fices etiam, quum plura in unam tabulam  
opera contulerunt, spatium distinguunt, ne umbra  
in corpora cadant. Facit res eadem concisam  
quoque Orationem. Subsistit enim omnis sen-  
tentia: ideoque potest eam utiq, aliud est initium.  
Unde soluta ferè Oratio, & è singulis non mem-  
bris, sed frustis collata, structurâ caret, quum  
illa rotunda, & undique circumcisa insistere in-  
vicem nequeant. Præter hoc, etiam color ipse  
dicendi, quamlibet clarus multis tamen ac variis  
velut maculis conspergitur. Porro ut affert  
lumen clarus purpura loco insertus, ita certè  
neminem deceat intexta pluribus notis vestis.  
Quare licet hac emittere, & aliquatenus extare  
videantur, tamen lumina illa, non flamma,  
sed scintillis inter fumum emicantibus similia  
dixeris, quæ ne apparent quidem, ubi tota lucet  
oratio, ut in Sole sidera ipsa desunt cerni. &  
quæ crebris, parvisque conatibus se attollunt, in  
aqualia tantum, velut confragosa, nec admi-

G 2

RATIONIBUS

rationem consequuntur eminentium, & plaudum gratiam perdunt. Hos quoque accedit, quod solas captanti sententias, multas necesse est dicere leues, frigidas, ineptas. Non enim potest esse delectus, ubi numero laboratur. Itaque videat & divisionem pro sententiâ poni & argumentum, si autem in clausula & calce pronuntietur.

32. Occidisti uxorem ipse adulter: non feram te,  
 33. etiam si repudiales, *divisio est.* Vis scire venenum esse amatorium? viveret homo, nisi  
 34. illud bibisset *argumentum est.* Nec multas  
 35. plerique sententias dicitur, sed omnia tanquam sententias. Hæc sollertissimè Quintilianus. Utinam verò huiusmodi monstra deformitas, quæ ipse proseribit, ac jugulat, quum in gravibus Orationibus, tum in sacris quoque Concionibus, nostrâ etiam ætate non semel audirentur, & legerentur.

90. Nunc antequam in hæc pugna ultra progrediar, quæso vos, Auditores, quot quantisque vulneribus Adversarios meos, jam conciderim, memoriâ diligenter repetite, ac retinete. Docui enim illos nulla plerunque afferre argumenta. Docui ea, si qua afferunt, esse perimbecilla; vel si valida sint, docui acuminum leporumque pluvia ab illis enervari. Docui iisdem sensiculorum inculcatis papaveribus & attentionem avocari Auditoris, & satietatem eidem creari, & tenebrosam gigni obscuritatem, quæ omnia enthymematum rationumque vim, si qua esset, ad animum ejusdem Auditoris permeare, aut in pectus descendere non sinunt. Quare, quum  
 acumi-

acuminum, atque ornamentorum isti factores in argumentis, quæ persuasionis fuit potissimum instrumentum, tractandis adeo insignitè, ut ostendi, prævaricentur, erunt necessario eorum Orationes ad finem proprium Oratoris adipiscendum ineptæ, ac proinde & corrupto eloquentiæ genere infectæ, quo de vitio primo loco me didurum recepi, manifesto deprehendentur.

*Aliorum Partitionis membrum.*

*Ornamentorum intemperantia mores profligat.*

91. **Q**Uæ sit istorum facultas Oratorum, quæ ars in muniendâ firmis argumentis Oratione, quam multa in his peccent, hætenus pro spatii ad dicendum brevitate factis copiose, pro causæ verò necessitate jejunè admodum disceptavi, Auditores. Jam ad mores, alterum scilicet eblandiendæ persuasionis instrumentum, quo etiam Adversarios meos destitui jam pridem significavi, moxque perspicuè, etsi paucis, demonstrabo, sermonem lubens trajicio.

92. Per vestrum decus, ac fidem, hominum elegantissimi, atque ornatissimi (vos quippe jam appello, fucata & patròni eloquentiæ) quoniam ab Oratore mores (mitto enim interea de Auditorum moribus, de quibus paulò post, querere) in ipsam Orationem sunt derivandi? Recensete nomina, tribuite in digitos partitionem, notiones interiores cunctas evolvite.

Quid torpetis? quid fugientem refricatis memoriam? Seilicet quæ nunquam didicistis, vel certè malè eidem commendastis, exciderunt. At ego non ero difficilis, nec morosus. Patiar vos Aristotelis \* Rhetoricorum librum alterum consulere. Ille vobis vel revocebit in mentem, vel primò patefaciet, Oratori, quò fide dignus videatur, prudentiam, virtutem, ac benevolentiam erga Auditores in Oratione esse exprimendas. Quod munus si ei detrahatur, seque ille fide dignum non doceat, quis ejus se fidei committat, quis, quò minus ei se credat, non sustinebit assensum? quis non

**A** ab eo fraudes, dolos, ac decipula metuet, & cavebit? Singula percurramus. Statue tibi Oratorem aliquem prudentiæ immunem sese ostendere. quisquamne sit tam vecors, ut ejus consiliis fidendum censeat? Sin prudens sit, at naviter simul improbus: malitiosè veritatem ab eo suppressi, fucumque astutè fieri nemo non suspicabitur. Sit verò prudens, probusque; tamen quia judicium pro affectu vires plerumque alternat, ac variatur; si non amicus, atque benevolus unà sit, qui in animum mihi inducam, commodis illum meis atque utilitatibus quàm optimè consulere?

93. In quo igitur primùm Oratoris eminet prudentia? Hæc luculenter se prodit, quum naturam causæ, intimosque recessus ab eo indagari Auditores intelligunt; quum quæ utilia, atque honesta sunt, cognosci, ac prænsari, opposita autem declinari; quum sedato ani-

mo

\* Lib. 2, cap. 3.

mo, nullisque commoto perturbationibus iudicari; quum in omnibus loci, temporis, personarumque rationem haberi; quum difficultates, quæ possunt accidere, atque Adversariorum consilia rerum usu atque experientia provideri, non obscure comprehendunt. Jam istorum prudentissimorum Artificum Orationes sumamus, si placet, in manus. Impudentissimus ego, atque impudentissimus predicari volo; si in his vel tenuis ulla prudentiæ umbra, aut vestigium apparet. Si inanes gloriolæ btillas, levissimosque populares aure flocos studiosissimè captant; qui utilia, qui honesta suadere possunt, ne dum persuadere? Si quò eos importunus æstus ingenii abripit, temerè excurrunt, an quicquam illi certum ad finem ex destinato referant? Si toti sunt in sententiolis acuminibusque tonsarcinandis, scilicet, quid loco, quid tempori, quid personis congruat, expendunt. Ex æquo illi ornamentorum venatores tam in urbe, quàm in tenuiore oppido, vel pago; tã ad viros agrestes, bardosque, quàm ad doctissimos, & sapientissimos; tam in luctuoso, ac funebri argumento, quàm in ludicro, & festivo, densissimum acuminum atque argutiarum nimbum intemperanter effundunt. An verò hi Adversariorum consilia, ac tela præcavebunt, qui in Oratione nullum habent ipsi consilium, nec telum? qui id unum cavent, ne argutiarum salibus illa ubique non obruatur? qui ad insaniam usque fatagunt, ut ubique omnium venarum, atque illecebrarum cinnu ineptè concinnent,

cinrent, infulsè condiant, intempestivè propinent?

A 94. Sed forte navi isti, ac strenui Declamatores Orationis imprudentiam vitæ exploratissimâ probitatè deprecabuntur, aut compensabunt. Quis credat? Hocne ipsi audent spondere? hoc jactare, aut innuere? & improbitatis certissimum præjudicium, quum probitatem ne mentiri quidem oratione nôris, probitatis tamen speciem fidenter, animoseq; profiteri? Quibus enim virtutibus, iis præfertim, quæ in aliorum exercentur commodum, calamistrati Oratores, sacri potissimum, se excultos possunt ostendere, qui propriæ umbram gloriolæ sibi magis cordi esse, quàm ullam honestatem demonstrant? Quando namque pietatem in Deum, ac res divinas testabuntur, qui de tam altis mysteriis tam leviter, tam humiliter, ac pueriliter disserunt? qui nullâ reverentiâ, nullâq; religione jocos, & facetias ineptissimas interserunt? qui Dei cultum, qui religionis Christianæ incolumitatem, qui templorum decus, qui Religiosorum virorum observantiam nulli propemodum curæ sibi esse reapse docent? Pium illum judicabimus, qui, quum religionis perduelles, & prævaricatores refellit, hilariter potiùs cum eis videtur ludere, quàm serio decertare? quum Cærites affatur, ridenti propior similiorque, quàm veneranti apparet? Tunc probum illum censeas, qui justitiæ tam impensè favet, ut quum adversum iniquos homines leges patrias, ac divinas proponat, magis suspensus est, ne de

toto

toto suorum acuminum, aut ornamentorum  
 acervo vel unum, licet supervacaneum, de-  
 trahatur, quam ut clienti ereptas fortunas,  
 aut mendicis stipem aliquam, minore quidem  
 pompa orationis, sed maiore rationum pon-  
 dere reddendas, porrigendasue persuadeat?  
 Qui intempestivis lascivis descriptionibus,  
 qui molliter inania quoque muscaria depin- **B**  
 git magno, opinor, impudicos homines ru-  
 bore suffundet. magnam scilicet facinorosis  
 conflabit invidiam. Illumne in modestia al-  
 bum ullus referat, qui tam multa arroganter, **C**  
 qui pleraque ambitiose promittit in medium? qui  
 de sese ut quam honorifice, ita tam immerito,  
 de aliis autem parca, contemptivaque loquitur?  
 qui sua extollit, ut aliena deprimat? Magna-  
 nimus judicabitur, qui nihil aliud magni,  
 nihil aliud ardui pro patria, vel Auditoribus **D**  
 se moliturum denuntiat, nisi quod tenuiculis  
 quibusdam, ac frigidis, leviculisque, feniculis  
 ad nauseam stomachumque sciendum totam  
 infarcire. Orationem non desinet? Egone pro-  
 bum illum suspicer Oratorem, qui sui infla-  
 tus opinione, non meam salutem, sed sui fa-  
 mam venatur? qui non de meo periculo aver-  
 tendo anxius, sed de lenociniis sermonis co-  
 ciliandis sollicitus, non in utili suadendo con-  
 silio vehemens, sed in nominis querenda ce-  
 lebritate industrius defatigatur? Illum pro-  
 bum ego putabo, qui arrogantiae servit? qui  
 evanidi plausus mancipium est? qui hominum  
 rumores minus favorabiles Orco pejus formi-  
 dat? qui de Auditorum sanandis vulneribus

nihil laborat? qui omnia eò referat, ut gloria infinita cupiditati impotenter obtemperet? Ego probum illum somniare possim, quem sui blandum assentatorem, virtutis fucatum venditorem, vitiorum non aecusatorem, sed pravaricatorem animadverto?

95. Denique si festivi isti Oratores prudentiae, probitatisque tesserâ muniti non sunt; num saltem benevolentiae nomine Auditoribus se commendabunt? Desistant, quæso, Antistites sapientissimi, ab his gratiam ullam **A** sperare. Illis blandiri possunt, palpari possunt, benevolentiam sibi eos devincere non possunt. Quid enim? Qui Auditorum salutem atque incolumitatem, ut paulò ante perstrinxi, non dico suis commodis, non, suis incommodis posthabere non dubitant; sed rumu-  
**B** sculis ingenii intemperantis spargendis mancipio tradunt; qui in ipsorum ærumnis æquè, ac in secundâ fortunâ hilaritatum illecebras confectantur; qui illos non laudant, sed adu-  
**C** lantur; non ingenuè candideq; alloquuntur, sed suspiciosi, sinuosisque verbis circumveniunt, qui eorum gratiam ne uno quidè, quamvis obtusiore acumine abstinerent; quâ ratione benevolas sibi eorundem possunt adungere voluntates? Supputent igitur Logodædali isti Oratores apud se diligenter rationes, tandemque se inspiciant, atque homines esse in fabricandâ Oratione nullâ prudentiam, nullâ probitatem, nullâ benevolentiam, nullisque moribus instructos agnoscant. Fateantur sincerè, nunquam, qui essent Oratoris

toris mores, aut qui moratam texerent Orationem, usu, imò ne cogitatione quidem se attigisse; ac propterea, quum & hoc altero persuadendi instrumento aperte deficiantur, tanto corruptiore eloquentiæ genere se esse deformatos intelligant.

*Tertium Partitionis membrum.  
Immodica Ornamentorum frequentia  
affectus perdit.*

96. **R**eliquum est, Auditores, ut videamus, an qui in argumentis, & moribus persuasioni extorquendæ adornandis (quæ duo erant, ut jam expendimus, prima ejusdem persuasionis inferendæ nervosa instrumenta) tam præposterè delinquant, in affectionibus saltem vehementioribus, quas in tertium hunc, postremumq; locum rejeci, commovendis dominantur; vel si non dominantur, gloriosius saltem excellent. Sed quo pacto, aut quibus præstigiis id consequentur? Qui oleum, atque operam in duplici illo munere luserunt? an aliquid in hoc tertio melius auspiciabuntur? Qui hætenus in argumentis, & moribus distorto adeo gradu claudicaverunt, jam in gravioribus hisce motibus rectius, credo, tibiis, ac pedibus discent insistere. Fallor. Quid affectiones, quid motus, quot, & quales sint, in quâ Orationis parte, quando, ubi, & quem ad finem sint excitandi, nunquam elumbes isti Declamatores, ne per somnium quidem, si A  
G 6 quam

quam mihi fidem, Auditores, habetis, viderunt. Nam qui verborum tot blandimentis dediti sunt, qui aurium titillationi ita devoti, qui gloriae aucupio adeo mancipati tenentur, cavent summopere, ne subirati videantur, omnemque commotiunculam ceu scopulum refugiunt. Haberi volunt ex gratia, & lepore compositi, miram afflati suavitate, ac venustate. Si vitii odium concitandum sit, metuunt, ne inurbanius excandescant. Si dolor profligatae virtutis inurendus, illum statim orationis extinguunt hilaritate. Si timor incuriendus, animosiores praedicari cupiunt, temereque ad audaciam impellunt.

97. Verum licet etiam affectuum machinamenta admoveere vellent, qui tandem possent! quid enim magis affectum excludit, quam densatus nimbus acuminum? Notissimum vel Rhetorices tironibus est, rationem ciendorum affectuum iisdem ex locis & sedibus, ex quibus emanantur argumenta, esse sumendam. Atqui, ut haecenus evici, limatuli mei Adversarii argumenta non vibrant, non intorquent rationes, non densant enthyremata: qui igitur gravissima haec affectuum tonitrua possunt edere? Illi lacrymae sunt excutiendae, huic detrahendus dolor, alius a desperatione revocandus, aliis odii aut cupiditatis subpiciendae faces. At unde, obsecro, ad motus adeo grandes miscendos necessariae perturbationum ballistae, incitataeque Orationis arietes arcessi, unde conflare debent, nisi ex causa firmamentis, distributoque ra-

tionum amplissimo armamentario? Tu verò  
 hisce affectuum fontibus ne inspectis quidem,  
 tepores tantum ingeris, & flores, unguenta,  
 cerussamque diffundis. De verbis singulis mi-  
 rere anxius is in consilium; syllabas omnes  
 metiris; nihil sine figurâ, sine sententiâ nihil  
 audes dicere. quæ explicato, dilucidoq; stylo  
 sunt edisserenda, figuratè, & obscuris invo-  
 luta nodis, tanquam ex cortinâ pronuntias. **B**  
 At hæc tanta nubes acuminum gelu frigi-  
 dior, qui non affectum omnem rigore con-  
 stringat? qui non quemcunque animum, li-  
 cèt estuantem, tepetaciat? Quomodo non  
 omnem motum in auras illico solvat?

98. Sed fac tandem hisce acuminibus sub-  
 esse argumenta. adhuc inuelli isti Oratores  
 ex his affectus agitare nequeunt. Nam hu-  
 jusmodi subtilitates ut probè intelligantur,  
 non exiguam mentis intentionem requirunt,  
 magnam, laboriosamque intelligentiæ com-  
 mentationem pœscunt. At quis nesciat eo  
 magis in sensu per motionem imminui, quo  
 iudicii magis augetur intentio? Amore Au-  
 ditor capiendus est, odio inflammandus, in  
 spem erigendus, ad misericordiam flectendus,  
 aut quamlibet aliam versandus in partem.  
 Tu verò quid agis. Statim acuminibus gran-  
 dinantem orationem exonerâs, argutiarum **A**  
 pluuiam, aut jecorum cataractas recludis. Et  
 putas istâ confragosa vibrantium fensiculorû  
 procella Auditorû animos succendi, vel per-  
 moveri? Falleris. Restringuntur potius, ac  
 refrigescunt. Videas istorum complures, ubi  
 pau-

paululum affectus tentare cœperunt, statim  
 erudita quædam, atque recondita narthecia  
**C** interponere, tum rursus periodos sententio-  
 larum ramentis fartas convolvere. At dum  
 his adhærescit mens Auditoris, morio præ-  
**D** terfluit, habetatur affectus. Sint verò hæc  
 acutæ orationis acria sulphurata Auditoris  
 intelligentiæ blanda, & pergrata, ac volun-  
 tatem non afficiant. Curiositate mentis acie  
 titillant, sed animum non feriunt; hilarita-  
**E** te, & novitate intellectum deliniunt, ac sen-  
 sum minimè laceſſunt. Quocirca animus,  
 qui jam incalescebat, frigidissimis hisce ad-  
**F** spersus salibus, quasi aqua frigidâ bullienti  
 lebeti superfusâ, illico refrigeratur. Neque  
 tamen ego ab affectibus graves arceo senten-  
 tias, dummodo graves sint, non longè ductæ,  
 nec violenter intrusæ. Neque acutas penitus  
 damno. at eas volo perspicuas, atque ad per-  
 suasionis finem aptè tornatas.

99. Quid amplius? Videte, quò progrediar,  
 Auditores. Etiam si eos omnes, qui dicenti  
 Oratori aures dant, acutissimâ, celerissimaque  
 iudicii perspicaciâ eminere fingerem, licet  
 illos in tuis istis argutiolis dicto citius perci-  
 piendis nihil penitus laborare concederem  
 adhuc pernego quicquam affectus isto cha-  
 ractere acutè nimis dicendi moveri posse.  
 Quippe Orator si Judicem, aut quemcumque  
 alium, ad quem dicit, velit incendere, ardeat  
 ipse prius, necesse est. Haud quippe fatis est,  
 Auditores ipsos per se ad motum esse propen-  
 sos. Nisi enim Orator fulguret, nulla mo-

ra est: languent illi, actutum, torpent, obtupescunt. At verò quum luxuriantem acuminum gemmis Orationem politissimus existorum cœtu, scholæque artifex in rostra, ac pulpitem affert, quo pacto, rogo, potest sese ad motum prius incitare? Qui manu tractat glaciem, num ex glacie potest calorem elicere, frigusque dispellere? minime nisi rerum omnium initia, naturas, atque officia, ut corruptissimæ eloquentiæ turpis mædaci servitio ancillemur confundere velimus ac perturbare. Neque igitur Orator poterit Orationem ex glacialibus contextam, duratamque acuminibus, nisi frigidissime intorquere. Quid mirum? frigoris causam, sedemque mecum, si placet, quaeso, lustrate.

100. Si vis affectus incendere, quid tibi ob oculos statuendum, quid sedulâ intentaque cogitatione pertractandum est? Debes nimirum vires omnes colligere, atque in proposito rei negotium, causam, personasque defigere. At tu ad hunc caloris fontem in parandâ Oratione nunquam adis. Hæc affectuum capita mente rimari negligis, sed per vernantium A nugarum umbrosos, frigidosque colles vagaris. Nunquam igitur alicujus affectus vel tenuissimi ulla scintilla tuâ ex Oratione emicabit. Ego verò contra totus in causâ hæreo, totus in re medullitus mihi insculptâ persisto; tu per avia gratiarum vireta peregrinaris. Ego facinoris atrocitatem perpendo; B tu sollicitè argutias per saltus indagas. Ego rei

rei indignitatem mihi depingo, oculisq; Auditorum subicio; tu blanditias senficulorum per montes, atque agros consecraris. Ego, si Reipublicæ negotium agatur, damna, vel commoda, quæ in eam sunt redundatura, provideo. Si sacro verborum in argumento, verendoq; in Templo concionaturus sum, unius animæ pretium inestimabile, ne dum orationum, ad trutinam voco: Jesu Christi Reparatoris nostri sanguinem osculor; quid sit hominem lethiferam unamob noxam in Tartarum detrudi, quid præ divinæ legis cultu Cælo inferi, fixâ mente contemplor. Cerno hinc criminum monstra teterrima, illinc virtutum agmina beatissima. Incurrunt in oculos præsentia pericula, nostram metior imbecillitatem, Dæmonum potentiam, vim, atque insidias pondero, longas pugnas, frequentes nostras strages, raras nostras de hostibus victorias observo. Rursum offensi majestatem Numinis, tum scelerum turpitudinem, tum Mundi hujus mentitam felicitatem, cum ruituri Orbis interitum, mortem corporis, inevitabilem Judici formidabile tribunal totâ cogitatione comprehendo. Ex hisce affectibus veluti fornacibus ignem peto, hinc totus repente æstuo hinc ardeo; hinc mihi in pectus amor, hinc odium descendit; hinc audacia, misericordia, indignatio toto agmine in me ruunt. Hæc sunt, quæ mea transadigunt viscera; hæc, quæ mei animi medullas depassunt; hæc, quæ Concionem meditantem cor auferunt; hæc, quæ scribentem in lacrymas solvunt,

vunt, stupore defigunt, impetuque ineluctabili prosterunt.

101. Tu verò blande Declamator, crocum **A**  
 dumtaxat, balsamumque spirans, quum affe-  
 ctuum arma rotanda sunt, quo tuam omnem  
 industriam, atque conatum vertis? Tui ni-  
 mirum famæ nominis dispergenda vel au-  
 genda cura animo suffixa hæret, per floren-  
 tia metaphorarum prata deambulas; per sales  
 jocosque amœnissimos saltas, climatos iensi-  
 culos in Poeticis silvis scrutaris, longum  
 venerum, scommatumque syrna vel ex Hortis  
 Hesperidum trahis. Illa te una, vel præci- **B**  
 pua mordet sollicitudo, qui acutiùs vibres in-  
 cisa, qui molliùs dedoles membra; qui cala-  
 mistris periodos elegantius inuras; qui acu-  
 minibus, antithetis, allegoriis, anonomina-  
 tionibus Orationem impleas, farcias, ac pla-  
 nè obruas. Hinc tu hilaritate perfusus, ac re-  
 nidens, nescis frontem contra scæda crimina  
 caperare. Hinc suavi quodam odore delibu- **C**  
 tus, delicias tantum, atque blanditias ut sapis,  
 ita loqueris. Non audes flagitiosos asperius  
 appellare. Dummodo de suggestu, vanissi-  
 mo aliquo insanientis juxta, temereque plau-  
 dentis vulgi rumusculo laudatus, decedas,  
 dummodo cum aliquâ tui nominis, scientiæ,  
 iudicii, vel ingenii denuo mendicata existi- **D**  
 matione abscedas; sat opimis lautitis Oratio-  
 nem tuam, sat opiparò congiario industriam **E**  
 tuam, studium, conatum, laboresq; omnes do-  
 natos, & cumulos arbitraris.

102. At ego, quando affectus sollicitare mihi

in animo est, non has verborum laciniæ,  
 non hæc eloquentiæ crepitacula, non hæc  
 styli cerussatam supellectilem ambio; Sed  
 me totâ mentis intentione in rei propositæ  
 causâ, personis, negotiis, eventisque, ut dixi,  
 defixum omnia veræ, germanæq; eloquentiæ  
 ornamenta, hoc est, modesta, ac temperata,  
 haud invita sequuntur. Sponte se mihi of-  
 ferunt, ultro se mihi ancillari, mea expectare  
 iussa, atque à nutu meo pendere fatentur. In  
 quamcunque enim velim partem, torqueri se  
 patiuntur, non me torquent; Ego illa in om-  
 nem faciè verso, non me illa pervertunt. Ego  
 illis arbitrato meo pro causâ utor oppor-  
 tunitate, non abutor. Video enim hunc cun-  
 ctis penè fortunis afflictum, & miseratione  
 capior; cerno illum à nefario ficario contru-  
 cidatum, & indignatione commoveor. Alium  
 iniustæ addictum neci cogito, & hominis  
 innocentiam oppressam elatè vociferor. Ver-  
 to me postea ad animi scenam. Et unum mere-  
 tricula obstrictum memini, statimq; doleo.  
 Audio alterum ore impurato, atque sacrilego  
 Deum, Divosque omnes funestare, & illico  
 lacrymari cogor. Aspicio alium facinoro-  
 sum, scelestum, impium, subirà correptum  
 morte, vivere desuisse, quò in æternum perire  
 incipiat; & mox totâ mente perhorresco.  
 Hinc divinæ vultum clementiæ intueor, &  
 repenti in spem erigor. Scelerum turpitudi-  
 nem considero, & odio acutum inflammor.  
 Tot perditorum impudentiam, tot senum  
 avaritiam, tot adolescentum luxuriam, tot  
 puel-

puellarum temeratum pudorem, tot latronum manus rapinarum pice inquinatas, tot nobilium superbum, durumque supercilium, tot plebejorum furax, ac fraudulentum ingenium, tot tamq; multa omnis generis monstra horrenda animo percurro, ac revolve: & ecce extemplo præcordia mihi inardescunt; oris muto colorem, & lineamenta; pallor, ruborq; per vices vultum subeunt, oculi ignescunt, vocem totam exero, contentisq; clamor lateribus; tum ex animo vires omnes exciens, tono, fulguro, fulmino. Denique quum rem ipsam totam perattentè introspicio, & circumspicio, quosunque hæc secum affert, aut continet affectus, eruo, induo, vibro, commoveo, omnia sursum, deorsumque permisceo.

103. At tu bellule, ac politule Declamator, dum Poetarum, atque Historicorum editiora, ut ita loquar, cacumina circumvolitas; dum lustra omnia viridantium silvarum pererras; dum philomelæ argutulis cantilenis Oratione tuâ decantandâ certamen indicis, nunquam (rursus denuncio) quicquam tibi cõmercii cum affectibus intercedet. Vociferari poteris, obstrepere poteris, latrare poteris; at minimè commovere. Hæc quippe tanta nugarum moles, ad risum quidem proritandum, quum joculari lubet, accommodata est: & quando in lepidis epigrammatis, in ludicris epistolis, in poeticis commentis, animi relaxandi causâ hujusmodi levitates congeruntur, vel quavis aliâ in lucubratio-

ne.

ne nihil ad persuasionis finem pertinentes frequentantur, iis sanè per me indulgeatur liberalius, nihil veto, non abnuo, ut disertè jam pridem præmonui. At quum gravis causa tractatur, quum summi momenti questiones disceptantur, quum seriò aliquid suadendum est; si quis Orator puerilibus ludat crepundiis, eademq; operà affectibus illudat, dignus profectò est, qui sibilis, pedumque crepita bellissimè excipiat. Facessant ergo, facessant vitiosissimæ istæ Oratorum artes;

**A** abeant pulcherrimi styli prævaricatores, **B** cedant veritatis comperti ludiones, qui, nec quid argumenta, mores, vel affectus sint, multo minùs, quid sit persuasio, unquam didicerunt. Hoc igitur, Auditores, præclarum Aduersariorum meorum Orationis genus est, hoc festivum, solenneque acroama, argumentis inane, moribus vacuum, affectibus nudum. Porro quum istorum Orationis intemperantium luxu ornamentorum, præcipuè acuminum, vitata atque corrupta, argumentis, moribus, atque affectibus orbata sit, ut ostendi; quis eam ad persuadendum ineptam, ac proinde eloquentiæ fœdâ specie sordidatam necessariò confestim non colligat, ac recognoscat?

*In confirmationem triplicis membri proposita  
Partitionis ostenditur ornamentorum re-  
dundantiam à decore esse quàm  
alienissimam.*

104. **E**T si ea, quæ hæcenus disputavi,  
Patres sapientissimi, ad fidem meam  
in ipso penè dicendi vestibulo à me oppi-  
gnoratam iam tandem liberandam abunde **A**  
sufficiunt; placet nihilominus aliud insuper  
meorum Adversariorum vitium, quo uno in  
ipsa argumenta, in mores, atque in affectus  
simul ferè delinquant, austarii loco animad- **B**  
vertere. Nàm quàm magna curæ decòrù in totà  
Oratione servandù Oratori esse debeat, quip-  
pe quod si negligatur, & ipsa argumenta,  
& mores, & affectus non mediocriter de-  
bilitentur, ex omnibus Rhetorices magi-  
stris, fat vulgo etiam testatum est. Duæ verò  
labes inter reliquas decòrum, opinor, maxi-  
mè inquinant, yana scilicet levitas, & magna  
curpitudine.

105. At quid, rogo, levius, ut ordiar à pri-  
mâ quàm acuminum levidentis, ornamen-  
torumq; phaleris totum Orationis, vel Con- **A**  
clusionis pondus elevare, atque corrumpere? Si  
quis maximæ auctoritatis virum de re gravè  
alloguturus, quò apud eum officiosi, elegan-  
tisq; hominis nomen aucuparetur; antequàm  
verbum ullum faceret, graphicè sciteque  
choreas duceret; si in ipso sermonis ingressu  
uno

uno flexu se in orbem torqueret; mox totum corpus in altum tolleret; subito deinde suo in  
**B** terram pondere recellens, nunc pedes lubri-  
 cãret in fugam; modò numerosum gressum  
**C** intercalaret; jam modicè repedando inter-  
 sisteret; jam quinto quoque passu alios infere-  
**D** ret modulos; nunc pedes rursùm decussatim  
 quàm citissimè secaret in saltum; jam denique  
 utrumque tremulã agitatione alternatim vi-  
 braret; quis non tam lepida urbanitatis no-  
 vum architectum, reapse jocularè circula-  
 torem, fatuumque sannionem putaret, ac ri-  
 deret?

106. Sed est aliquid leve adhuc magis, &  
 scurrile, ut opinor, præ manibus. Si unquam  
 enim homines in omnem se se levitatem ef-  
 fundunt, sub Bacchi potissimùm non tam  
 ferias, quàm furias, quibus larvarum licen-  
 tiã passim indulgetur, Christiani etiam (ò  
 Christiani nominis, & religionis sacrosan-  
 ctæ dedecora!) huic amentia se dedunt, ac  
 devovent. Inter larvatos verò nulli leviores,  
**A** nulli infaniores, quàm petauristæ, atque chi-  
**B** ronomi, quos nos Itali ab affinitate stulti-  
 tiæ vernaculo nomine *Mattacinos* appella-  
 mus, per plateas ludibundi spatiantur. Nunc  
 date mihi, quæso, hanc veniam, viri pru-  
 dentissimi, atque gravissimi, ut positã tantis-  
 sper gravi Oratoris personã, ad expingendas,  
 explodendasq; istorum descriptiones intem-  
 pestivas, tempestivè ego in præsens per non-  
 nullas descriptiones ad rem, quã urgeo, bellè  
 appositas paulò uberius deducã stylum Agite.  
 Chiro-

Chironomorum mores, ac ludos nunc hilari  
 spectate. Vestes sunt iis ex toto rubræ, vel **C**  
 coccinæ, ad cursum, saltumq; expeditissimæ.  
 Tibialia, ac subligacula quàm arctissime cir- **D**  
 cumducta induunt. Brachia, humeros, pec-  
 tus, ventremque angusto panno severè casti-  
 gant, & premunt. Nullæ eo in habitu exun- **E**  
 dantes, ut ita loquar, laciniæ, nulli inflati  
 sinus. Summa cutis tentâ supra telâ sine ullâ  
 rugâ, vel striâ eleganter adstringitur. Gale- **F**  
 riculus turbinatus, gracilique crepitaculo in  
 cuspide fixo, stridulus, capitis operimentum  
 est. Inde vultus larvâ ridiculè, scurriliterque **G**  
 vultuosâ, rugis caperatâ, genis extuberanti-  
 bus, nasi enormi projecturâ, ore in cachin-  
 nos soluto obducitur; quantoq; magis facies  
 dissimulatur, ac tegitur, tanto magis se se  
 vecordia prodit, ac detegit. Sub mentum  
 totus colli, atque cervicis tractus lineo locali **H**  
 involyitur. Pendent ex humeris carbasinæ  
 teniæ, croceis revinctæ ligulis, auræ prorsus **I**  
 ventoque nuncupatæ. Interula etiam, atque **K**  
 subacula, fenestrato hinc atque illinc amictu, **K**  
 paululum ominet. Infra poplites exiguæ ex  
 aurichalco glandes plumbeo intrinsecus glo- **M**  
 bulo tinnulæ, atque in restim dispositæ, tan- **N**  
 quam torques, fibulâ connectuntur. Demum  
 imis pedibus calceoli repandi ad omnem **O**  
 agilitatem facti, vel ipsa Mercurii talaria **P**  
 ipsis affingitur.

107. Ita personati, conformatique, in om-  
 nes lusus sese læti, tripudiantesq; impendunt,  
 atq; ut risum cieant, ingenium, vires, tech-

nas

nas dolosque universos sedulo periclitantur;  
**A** Quà popellus, simplexque turba conglobatur,  
 dextrè pedem interunt. Tum omnibus pri-  
**B** mum blandiri; pellitis chirothecis mulcere  
 comiter adstantibus barbam; admotis leniter  
 manibus prensare, palpareque singulorum hu-  
 meros; deinde ex inopinato huic pileum de-  
**C** trahere, illi pallium, alteri penulam; alium,  
 subductis improvisò pedibus, in terram arie-  
**D** tare. Hinc ludicro hilares furto, subsultan-  
**E** tes aufugiant, pauci expilati, expalliatique  
 indignantur, fremunt, vociferantur; ceteri  
 plaudunt, rident, cachinnantur. Non illi re-  
 quorum more gradiuntur, sed uno pede pro-  
 ducto, altero retrorsum hærente, intestasque  
 manicis manus strenuè, celeriterque com-  
 plodentes; tum earum alteram supra oculos  
 tanquam in speculam, aut in oculorum, ut  
**F** ita dicam, tectum atque subgrundam erigen-  
 tes, alteram verò curvato brachio, ceu ansam  
 cingulo affigentes, in latus obliqui feruntur  
 mox altero passu in contrariam partem sese  
 vertentes, eadem repetunt gesticulationes;  
 atque ubi semel iterumque ita utrinque aug-  
 ti sunt, extemplo saltus congeminant. In viâ  
 porro ut nullam habent, quò tendant, metam;  
 ita non eunt, sed errant; non ultra pèrgunt,  
 sed repedant; non pedes explicant, sed cru-  
 ciant. Nimirum summis pedum digitis in-  
 sistentes, vestigia, gressumque nonnihil sus-  
 pendunt; at paulò post solum libero cursu  
 prætervolant. Nec mora, alii inflexo in  
**G** voluntarium gibbum dorso, manibusque se-  
 mori

mori innixis, inclinatum illius molem ful-  
 cientibus, ex intervallo transversim subsistunt:  
 alij contra, divaricatis tibijs singulos im-  
 mani saltu transiliunt; tum ita superatis om-  
 nibus, eodem modo se arcuantes, ab alijs **K**  
 vicissim transilantur. Rursus, officiis pe-  
 dum, manuumque commutatis, aërem pedi-  
 bus, manibus terram recti, sed inversi per-  
 curunt, aut alternatim pedibus, manibusque  
 circumactis, tanquam radijs in rotam emis-  
 sis, arcum dimetiuntur. Nec desunt, qui in  
 supremas domorum adjacentium contigna-  
 tiones, non per scalas, sed extrinsecus per  
 fenestras, per clathros, per podia, mirè **L**  
 pensiles, evadant. Quin aliqui etiam se per  
 multiplices, erraticosque circulos incredibili  
 pernitate trajiciunt; nonnulli averso capite  
 terram stantes contingunt; omnes postremo  
 tam insanè pandiculantur, plicantur, con- **M**  
 volvuntur, extenduntur, ut facile eos, si lu-  
 beat in re ludicrà cum Plauto ludere, eno-  
 datos, exossatos, exdorsuatos censeas. Quid **N**  
 igitur hisce gesticulatoribus, atque chirono-  
 mis levius, quid inconstantius unquam vidi-  
 stis, Auditores?

108. Ego verò saltatriculas feles multò ad-  
 huc quum leviores, tum jocosiores etiam  
 existimo, Nam quum genio invitante, omnia  
 ineptiarum genere lascivunt, cernas illas  
 veluti ex condicito mutuo concurrere; collatis **A**  
 dimicare pediculis; evaginatim d' gladiari  
 falculis, variis sese amplexibus implicare, im- **B**  
 plicatas sursum, deorsumque verti, volvi que: at

H

audito

audito fortuito bombo, aut sibilo, si quis tinnitus aures ipsarum perstringit, umbratili expeditas lucta, protinus facessere; magnoque ambitu circumcursantes, nec non diversis sese mæandris per vices fallentes, atque frustrantes, subdolè ludificari. Quod si quam muscam, aut vesperam obviam offendant, illi conova ordiuntur prælia. Intentis in eas insiliunt pedibus, avolantes saltu præhensant, ori imminentes hiantibus faucibus frustra captant, irritis verberibus impetunt, errantes per ærem iratæ, sed incassum insectantur. Hinc veluti fessæ, receptui canentes, tantillum quiescunt. In terram supernæ sese porrigunt, in latus omne velubiles se agunt, ore, dentibus, unguis, pedibus secum ipsæ rixantur. Sed mirum haud du in eodem hærent vestigio. Momento ergo rursus in pedes assurgunt, solicitæ aures surrigunt, caput attollunt altius, cæsis, fixisque oculis circumspiciunt. Tum passus veluti numerantes (diceret gravem ab illis personam sumi) pedetentim, magno silentio, sedatè, lenteque perrepunt. Simul autem quis pilam eis temerè fortè objecerit, tum subito illæ redire ad ingenium. Nempe feles, nempe æluri sunt. Ludum præproperè redintegrant, rursus micant falcibus, rursus maiore impetu irruunt; objectam pilam astutum pedibus corripunt; mox quasi poenas de captiva exigentes, ad uncas in eam ungues impingunt, eandem ceu quibusdam talibus vellicant, imprudentes que à se longè abigunt

ac repellunt; sed abactam tanquam fugitivam  
 illico reprehendunt, reprehensam denuo ab-  
 iiciunt. Inter hos verò lusus recens certaminis  
 cura, aliaque iterum pugnae moles inguit.  
 Ipsamet cauda blandè vibrata bilem, vel gela- **G**  
 sinum, si quis bestiolæ inest, felimover. Re-  
 pentè igitur & huic etiam bellum indicitur,  
 statimque dentes, & pedes in ventilatum illud  
 flabellum, atque muscarium armantur. In gy- **H**  
 rum circumvolvitur secum dimicans, refu-  
 gamque semper caudam vecors belua diu mul-  
 tumque in orbem casto labore persequitur, do-  
 nec fatigata tandem, victaque vertigine, in la-  
 tebras penè indignabunda divertit. Hic si qua **I**  
 insecta serpentina, aut volitantia offendit, vel  
 aliqua aranea in Sole sua deducit flamina, im-  
 provisò carus, quasi ex insidijs, librato cor- **K**  
 puscule in medium profilit, incauta animosè  
 adoritur, capta avidè rapit, ac vorat. Quid  
 porò de prælijs, quæ cum foricibus sanè cru- **L**  
 enta per pugnam felis conferit? Tunc enim ve-  
 rò non ludo vacat, sed prædæ: qua ubi potita,  
 debellatum murem confestim in triumphum  
 duceus, hominum cœtus, & coronas thea-  
 trum suæ virtuti par, plausumque suæ stre-  
 nuitati debitum quarit: tum prehensum, ex-  
 animemque foricem in medio sistit, mirosque  
 ac meros ludos tota iocabunda edit. Falcu-  
 lis eum huc, atque illic agitare, in altum tol-  
 lere, in latus abicere, oculis adstantium os-  
 tendere, unguis fodicare trepidantem, elap-  
 sum cursu repetere, sol tantum circumeundo  
 obsidere, deinde oculis aliò coniectis, versoque

tergo, finem quasi saviendi facere prædæ ne-  
 M glectum præ se ferre; & reptabundo muri eva-  
 dendæ facultatem dare. Sed è vestigio conver-  
 sa, infelicem animantem rursus invadere,  
 pauloque progressam ex fugâ retrahere, retra-  
 ctam demum laniare dentibus, & peracto tri-  
 N umpho, tanquam epulæ merita, suaviter  
 mandere, & conficere.

109. Verum hæc omnia, quæ minimè ma-  
 lignè ego descripsi, quàm levia sint, & primo  
 A fortasse aspectu meam etiam elevent oratio-  
 nem, ipseque decoro, quod in meis Adversa-  
 rijs desidero, non levem hîc quoque notam  
 inurant, satis per me intelligo, Auditores. At  
 nisi planum fecero, hanc totam levitatem istis  
 exuberantium ornamentorum, maximè acu-  
 minum glutinatoribus esse præcipuè solem-  
 nem, eaque cuncta, quæ commemoravi, ad  
 amissim quadrare; ego sane levitatis noxiam  
 non deprecor, neque vos, quin me ut levissi-  
 mum iure rideatis, verbo ullo deinceps inre-  
 pellabo. Et cui, quæso, etiam non sollertissi-  
 mo, Patres amplissimi, non vano, sed certo  
 præiudicio, exploratum non sit; quàm levis  
 istorum Oratio, quàm nugatoria, & frivola  
 sit; quando quidem illam nemo ne reprehen-  
 dere quidem satis cautè, ac dignè potest, quin  
 vel sola eju(s)dem expositio aliquam levitatis  
 suspicionem, si quis rem penitus non introspi-  
 ciat, ipsi etiam reprehensori importet?

110. Saltatoribus primùm comptos hosce  
 Declamatores multo leviores animadvertite.  
 Antequam enim immortale illud facinus im-  
 mobi-

mobilis D. Caroli constantiæ ( hæreo perspicuitatis gratiâ in usurpato sapius exemplo) simpliciter explicent, quid non officiarum, quid non ineptiarum insulsi histriones effutiant? prius quàm, quod volunt, aut certè debent, expromant; quoties argutiolis saliant? quot peranfractus sinuantur? quot annominationibus, quot antithetis, quot piperatis dictis Orationem interpungunt, præcidunt, dilaniant? Jam in perennem sensiculorum gyrum rapiuntur; jam se in allegoriarum latebras abdunt, nunc per agnata nomina currunt; jam varijs tripudiant notionibus, nunc per omnia rerum adjuncta toto cælo disjuncta, tanquam pulices, gryllique saltatim incedunt. Deinde, ubi diu multumque ita saltando jactati sunt, tunc demum (ô perveritatem!) subdunt, nescio, quid de D. Caroli constantiâ frigidum planè, atque invenustum. At quid hoc aliud est, quàm Auditorum abuti humanitate, atque patientiâ, apud quos, quum te D. Caroli constantiam prædicaturum initio pollicitus sis, per tot postea metaphoras, per tot acumina, per tot lumina, per tot sententiolas tam pueriliter nugatus es, ut non Orationis tibi nomen plenum venerationis & majestatis, sed levissimi histrionis, ac saltatoris notam pepereris?

112. Et quinam, rogo, saltatores illi sunt, qui Bacchanalia toto anno ludunt, nisi Adversarii mei, qui quoties dicunt, aut scribunt; in omni causâ, locoque, omni denique tempestate intempestivè ludunt? Hi sunt belli illi

logodædali, qui in quacunq; Oratione, vel Concione chironomos absurdè agunt, ac reddunt. Quippe nisi singula vocabula niteant minio, ac purpurâ, ut abjecta, sordidaque stomachantur. Hinc eorum vestes sine ullo verecundiæ rubore undiq; ad insaniam usque rubicundas intuemini, Auditores. Undantes amplificationis sinus, atque lacinia apud illos nullæ. Singula membra concisa minutius, tanquàm ramenta hinc, atque illinc temerè sparsa vibrantur. Plumbeorum acuminum crepitacula, non tantùm circa confirmationis, ut ita dicam, pectus, sed in ipso etiam exordii capite, in ipsis perorationis quoque pedibus assuta reperietis. Obscuræ verò illæ, longèq; per vim tractæ metaphora, tum involutæ, personatæque allegoriæ, illæ illæ tam densæ putidorum sensiculorum crustæ, quid nisi scurrilem, rugosam monstruosamque larvam nobis conficiunt? At quanta se ex tenebricosis istis operculis pandit amentia? Quum autem tam importunè tenuissimas descriptionum à causâ alienissimarum tæniarum argutiarum ligulis revinciunt, an non auram advocare stabello; quumque argumentorum interioremunicam, leviter tantùm ea perstringendo, per incisa dumtaxat, perque confectariorum transfennam ostendunt, an non controversiæ nervos enervare, vel certè modicè solùm proferre videtur? Præterea quorum creber ille, continensque antithetorum tinnitus; quorsum illa exilium spirituum frequentamenta; quorsum illa Poëticorum colorum direptio, quorsum illa pigmentorum om-

nium

nium expilatio, nisi ut nobis chironomorum  
 gesticulationes, ac jocos representent? Nolite,  
 Judices, expectare, ut non vivendi isti rectis ali-  
 quando pedibus insistant causis: semper trans-  
 versi, semper in latus, obliqui semper, in ad-  
 versum semper palantur: jam supra rei digni-  
 tatem turgent, atque instantur; jam infra sese  
 abjiciunt, ac repunt. Quoties à rei proposita  
 uno veluti latere in contrarium repente se ver-  
 tunt? quoties in gibbum quendam per tumi-  
 dum conglobatae eruditionis, vel ineptae di-  
 gressionis, aut certe magnae de se exultatio-  
 nis hinc extolluntur, ilinc omnes eloquen-  
 tiae leges, omnia scita, & jura fidei, necessitatis,  
 salutis, atque officii transibunt? Quoties per-  
 versè tristia stylo hilaris, jucunda lugubri, qua-  
 si in terrâ manibus inambulantes, edisserunt?  
 In ipsam causam per januam congruentis in-  
 sinuationis non ingrediuntur; in istos quae-  
 stionis recessus, superioresque contignationes  
 non per scalas aptae dispositionis ascendunt;  
 sed extrinsecus per abrupta exoticæ doctrinae, **D**  
 per cautes insolentium mysteriorum, per ar- **E**  
 dua cerebrosæ cujusdam tractationis Oratione **F**  
 præcipitant. Postremò, tantâ levitate ad quam-  
 cunque argutiolam captandam, sese omnem  
 in partem flectunt, ut nulla propè in eis ossa  
 argumentorum appareant; vel si qua sint, ita  
 fracta, luxata, & comminuta cernantur, ut illos  
 quilibet vel ex primo styli ac dictionis occurso  
 chironomos planè exossatos illico, nulloque  
 negotio deprehendat.

113. Mentiar jam viri gravissimi, nisi isti

H 4

ipfi

ipsi Declamatores felibus quoque leviratis pal-  
 mam præripiunt. Redite paulum, ni mole-  
 stum est, in memoriam, quàm affectatis col-  
 ludant antithetis, quàm impeditis sententia-  
 rum nexibus illaqueentur, quàm implicatis  
 subtilitatum nodis, plagisque circumretian-  
 tur. Age verò nonnulla alicujus acuminis insu-  
 per cudendi opportunitas affulgeat: derepentè  
 id magnâ ambitione, longoque circuitu, Au-  
 ditorum interim expectationem, qui rei expe-  
 tunt, postulantque explicationem, fallentes, &  
 ludificantes, diligenter vestigant, laborioseque  
 rimantur. Et ecce tibi felis errabundos dis-  
 cursus. Fac etiam quoscunque sales, atque di-  
 cteria, tanquam muscas, aut vespas temerè in-  
 tercurrere; atque ad hæc extemplo venanda,  
 relicta, quam versabant, si tamen versabant, ac  
 non potius evertabant, quæstione, illos festi-  
 nare, convolareque perspicies. Quum autem e-  
 am Caroli plumbeam pilam semel nacti sunt,  
 quantâ istarum venerum copiâ illam ludunt,  
 illudunt, delicias faciunt? Cernis, ut eam ceu  
 captum murem in medio Auditorum collo-  
 cent? ut sui ingenij venditandis prodigijs thea-  
 trum, plausumque quærentes, vibratis affinium  
 verborum apicibus, huc atque illuc eandem pel-  
 lant, ac repellant? Cernis, ut acutiore stylo ra-  
 piant? ut molliore cultu lambant? ut parcentem  
 vulneri Præsulis sanctissimi conditis gratijs de-  
 mulceant? Cernis, ut subtilioribus sensiculis  
 in altum tollant? ut sarcasmis in latus abij-  
 ciant? ut descriptiunculis adstantium oculis  
 admirandam subjiciant? ut exonerandis acu-  
 mini-

miaibus circumerrando, continenter obside-  
 ant? Cernis, ut illam missam se facere, ac post  
 tergum veluti reijcere simulantes, sermonem  
 aliò transferant, sed rursus aliarum sententio-  
 larum falcibus eam improvisò adoriantur, ex  
 fugâ quasi, annominationum vncinis retra-  
 hant, antithetorum forficibus, dentibusque la-  
 cerent, penitus exenterent, totamque demum  
 glutiant? Nempe fells cum sorice pugnat, lu-  
 dit, jocatur, nugatur, epulatur. At rursus isti  
 acuminum longam caudam ducunt, ac venti-  
 lant, eamque in volubilem sensiculorum orbem  
 agitatum, euntem, ac redeuntem argutiarum  
 unguiculis sistere, ac tenere molliuntur. Tan-  
 dem verò tam multiplicium id genus intempe-  
 riarum vertigine, de rei propositæ causâ deje-  
 cti, paulisper quiescunt, sed ita quiescunt, ut  
 alijs atque alijs hujusmodi apinarum captan-  
 dis araneis, quanquam fessi, in divorticulis  
 toto animo excubent. Quid vultis amplius?  
 Quum tantâ erraticorum acuminum agitati-  
 one ineptiant; cui dubium sit, saltatrices in-  
 ter feles eos esse numerandos? Imò sicut in  
 celebrioribus Urbibus qui in coetum, atque al-  
 bum reliquorum artificum referri vult, ante  
 quam artem ullam proficiatur, artis aliquid  
 specimen egregium præbeat, necesse est; atque  
 ita qui Pictoribus annumerari cupit (idemque  
 statuere de cæteris) omnem industriam, in-  
 genium, & sedulitatem adhibet, colores le-  
 gis præstantissimos, penicillos conformat re-  
 nuissimos, quò tabulam quam elegantissimam  
 omnibus absolutam numeris, atque à cunctis

H 3

appro-

approbationem suffragiumque impetraturam expingat. Haud aliter profectò isti quoque acuminum institores, ut in levium histrionum, saltatorum, chironorum, feliumque collegium cooptentur, levissimarum veterum redundantia lascivunt; levissimas Orationes, atque Conciones texunt, in omnem poëticam licentiam levissimè involant, levia omnia antithetorum crepundia depeculantur, leves omnes unguentatæ dictionis arculas diripiunt, levia omnia fucatorum ornamentorum narthecia funditus exhauriunt. Heus vos onerata acuminibus servitia! desinite tandem. Satis jam nugarum, & levitatum comportastis. Jam histriones estis, jam saltatores habemini, jam chironomi, felesque censemini, nemo vos quæsito calculo, quin levitatis specimen insigne dederitis, ipsosque etiam histriones, saltatores, chironomos, & feles levitate viceritis, fraudare, aut frustrari potest, Verùm de meorum Adversariorum in dicendo levitate, Antistites ornatissimi, pauca ista modò sufficiant.

114. Quum igitur elegantes isti Oratores tantam suis in Orationibus levitatem in deliciis habeant, ut cum levissimis quibusque artificibus, ac brutis de prærogativâ cerrent; quæ, obsecro, decori species ab illdem, nisi temerè, expectari potest? qui dignitatis color integer, quæ gravitatis incorrupta vestigia, quæ frons, quæ lineamenta, quæ umbra? Si histriones, si saltatores, si chironomi, si petauristæ, si æluri leves sunt; meritò & jure leves sunt,

cul.

culpâ vacant, sapienterque, ut ita dicam, desipiunt. Nam dum huiusmodi artes, atque personas quam levissimas agunt, simul etiam talium artium, ac personarum maxime propriam levitatem profitentur; atque adeo suo congruenter officio, decoreque admodum omni levitati velificantur. At eos, qui inter Oratores, gravissimos nempe viros, nomen suum professi sunt; qui munera hæc dicendi adeo magna, atque illustria susceperunt; qui gravi in causâ, in gravi Panegyrico de viro sanctissimo, atque gravissimo Carolo gravem aliquam de gravibus ejus, admirandisque virtutibus persuasionem, imitationemque, gravibus præsertim Auditoribus inferere omnino debent; in histriones, in saltatores, in petauristas, in chironomos, in feles monstrôsâ levitate converti; omisâque gravium argumentorum veras laudes enucleantium, atque exaggerantium impressione, hisce ineptiarum crepitaculis, sistrisque ludere, ridere, saltare, unaque enervari, luxari ac pandiculari; quàm absurdum est? quàm indignum? quàm omnino infestum decoro, ac penitus adversarium?

115. Utinam verò Adversarii mei, quos adeo leves ostendi, non multo essent in dicendo turpiores. Haud multis ad id probandum opus est. Quid enim foedius, ne dum levius, quàm in Oratorio, vel Concionali suggesto, quod illi factitant, scurrilem agere histrionem, levem saltatorem præstare, nugigerulum exprimere chironomum, gesticu-

**A** lariam, deliramque felem æmulari? Si matro-  
**B** na honestissima, aureâ cyclade, ac pallâ repu-  
 diatâ; si Regina plena dignitatis, & majesta-  
**C** tis, regium aspernata mundum, atque orna-  
 tum, meretricio se cultu, luxuque exornaret;  
 si calamistro intortos capillos in scenam quan-  
 dam, ac theatrum explicaret; si ante fron-  
 tem pendulos, auraque ventilatos crinium a-  
**D** tum, formamve mentiretur; si multiplici re-  
**E** dimiculo, si gemmeis spiris, si croceis, lu-  
**F** teisque amictorijs, si versicoloribus, segmen-  
**G** tatisque lacinijs ita esset conformata, ut tan-  
**H** quam scortum illico ganeam, ac lustra olere  
 videretur; quàm turpiter flagitioseque ab ho-  
 nestate degeneraret? quæ in ea pudoris, quæ  
 modestiæ, quæ verecundiæ norma, apex, aut  
 reliquiæ ullæ superessent? Verecundiæ autem!  
 Imò perfictæ frontis, atque impudentiæ tan-  
 quam hedera extrinsecus suspensa, expositum-  
 que tropheum appareret. Quid si deinde fœ-  
 mineum indignata sexum, in marem, viriliun-  
 dantia habitu, sese transcriberet? an non, ubi  
 muliebres vestes exuit, omnem unâ pudorem,  
 atque honestatem exuisset? Adde præterea a-  
 liquem, ætate quidem, ac munere gravem vi-  
 rum, ac fœmineis amictum vestibus, mulie-  
 brique speciei spatari per urbem. Finge, He-  
 liogabalum, effeminatum illum Imperatorem  
 ab Inferis reducem, rursus se more suo, possi-  
**I** tã Imperatoriâ chlamyde, versoque paluda-  
**K** mento in pallam, acinace in colum, sceptro  
**L** in fusum, clypeo in calathum, muliebrem in  
 formam

formam abijcere, interque foeminarum gy-  
necea, fila ducere, ac pensa exigere. Quis un-  
quam tam pudendum decori probrum, tam-  
que inuerecundum gravitatis dehonestamen-  
tum sat dignis convicijs, justisque diris defig-  
geret?

116. Atqui jam neminem, opinor, fugit,  
quàm honestissima, juxtaque gravissima ma-  
trona sit Eloquentia. Imò quæ alia Regina tam  
potens omnium tenet sceptrâ animorum; quæ  
omnium gentium, atque nationum imperio  
tam magno, vastoque potitur, quàm hæc ipsa  
regia Eloquentia? Qui ergo hanc regis nudant  
ornamentis; contraque meretricijs unguentis,  
ac fucis contaminant; qui argutiarum cirros, &  
metaphorarum capillamenta tam molliter  
crispant; quin etiam subinde in subsellia quæ **A**  
dam, in cuneos, in podium, in gradus criniti  
cujusdam amphitheatri, ad spectaculum aper-  
tissimæ affectationis, atque ostentationis eden-  
dum, fabricantur; qui acuminum minio, senten-  
tiarum redimiculis, antithetorum lacinijs, de- **B**  
scriptionum spinis, annominationum ligulis, **C**  
reliquarumque gratiarum luxu eandem Regi-  
nam animorum in habitum formamque me-  
retriciam migrare cogunt; quo pacto tandem  
ullum verecundiæ, aut honestatis vestigium  
sibi adhuc hæere doceant? quomodo tam **D**  
manifesto lærocinio, ac meretricio ullum a-  
liud pretium, quàm summam turpitudinem,  
stolidissimæ ambitioni ancillantem, nume-  
ratum esse, ac persolutum inficiari possunt?  
Quid si non contenti, Reginam eloquentiam  
publi-

publico, vulgatoque Oratoriarum artis adulterio, in scortum, & meretricem à se esse conversam; jam in alium in super sexum, hoc est, in virilem, virili amictam togâ; & masculâ quidem simulatâ specie, sed meretriciâ retentiâ fronte, vultuque eandem transire compellant? Virilia quædam obire munera, hoc est, causam proponere, distribuere, confirmare; rationes, mores, atque affectus adhibere; de sacris, profanisque rebus differere; docendi, oblectandi, movendi, aliaque id genus officia tentare interdum eidem sanè permittunt: at meretricio stylo, meretriciaque verborum licentiâ omnia pervertentes, in eodem planè turpitudinis cœno indecenter adhuc quàm maximè voluntantur.

117. Quid si ipsum jam Oratorem, cui hæc Regina Eloquentia nuptui collocatur, eumque Regem, sceptro, atque imperio animorum in manus tradito, creat, quàm honestè ab Adversariis, pulchreque habeatur, contemnemur? Quoties isti tantum, tamque invictum fori, curiæ, senatus, & templorum, domi, forisque, in urbe militiæque Imperatorem? Tulliani, hoc est, regi styli paludamento in muliebrem elocutionis pallam; ratiocinationis gladio in arundineæ eruditionis colum; affectuum sceptro in argutiarum fufum; refutationis clypeo in descriptionum calathum commutato; turpissimè effeminant, perfrictaque frontis mulierculæ specie non tam conformant, quàm deformant? Quò igitur istorum foeditas ultra progredi, aut quod ei aucta-

rium

rium insuper adjici potest?

118. Quare quum Adversarii adeo suis in Orationibus quum leves, tum etiam turpes, ut docui, sint; quæ duæ res potissimum decorum, ut memoravi, de mediò tollunt: quis hinc suopte nutu non conficiat, quàm magnas illi, quàmque inexpiabiles eum omni decoro exerceant similtates? Porro quum decorum ab iisdem tam flagitiosè affligi, turparique compertum sit: qui tandem argumenta, quæ ex causæ visceribus erui debent, sine decoro tractata, quasi, incisissimis nervis, mollia fractaque, non languescant? quomodo mores, qui ab ipsomet Oratore sunt exprimendi, sine decoro adornati, omnem fidem non elevent? quâ ratione affectus, qui ab ipsis Auditoribus evocantur, sine decoro titillati, vi suâ non frustrentur? Quis enim argumentis assentiat, quæ magnâ cum levitate, ac turpitudine conjuncta animadvertit? Quis mores eos amet, aut suspiciat, quos sublestis, foedisque histrionibus, saltatoribus, ac felibus videt nihil ferè concedere? Quis iis se commoveri affectibus graviter sinat, quos ridiculo, deformique aspectu suis occurrentes auribus, atque oculis experitur? Neglectâ igitur, omni illaque decori curâ, quis non videt, in omnia simul probationum genera, in rationes nempe, in mores, atque in affectus, ut denuntiavi, necessario delinqui?

119. Quæ quum ita se habeant, Auditores, quod dudum antea sub ipsum propè dicendâ initium vobis pollicitus sum, jam satis pro-

lixè

lix è cumulatè que præstiti, atq; à limatulis tam Oratoribus, quàm Concionatoribus, luxuriantium ornamentorum, maximè acuminum ostentatoribus, Orationes, Concionesve formatas, tribus persuadendi præcipuis instrumentis insignitè vitiatis, inauspicatas, ac depravatas, hoc est, argumentis delumbes, moribus vacuas, affectibus exangues, ad finem Oratorium, sive profanum, sive sacrum, obtinendum valde ineptas conflare fabricarique; ac propterea eloquentiæ genere quàm corruptissimo perspicuè laborare. hæcenus validè, ut opinor, explanateque demonstravi. Nam, ut præclare Fabius Quintilianus, *illud certum erit, neminem pejus agere, quàm qui, displicente causa, placet, necesse est enim extra causam sit, quod placet.*

Lib. 12. cap. 9.



ACTIO